


## **Theses Theologicae De Mystério Crucis, Ex utraque Epistola ad Corinthios potissimum derivatae**

Halae: Zeitlerus, 1693

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876387598>

Druck Freier  Zugang





a. B.  
48. 6. 8. 11. 68#

1. Breithauptii *Disertal: I. de Perfectione Partium*

Ejurdem *Observat: Theologicæ de Hæresi  
disert: de Incrementis in Doro et Nalo  
in unguentis Lichtscheidii.  
de Nervi: Pelagianismi.*

*Animadversiones selectæ ex Actibus probatissimis ad denuo  
quorundam opinionem in ecclesia refutandas.*

*Exercitatio exegetica in Epistolam S. Pauli in Titum.  
de vera Dei verum Sacramta Notitia*

2. Antonii *Exercitatio Theologica de Redemptione Christi per Lytron.*

Ejurdem *Meditatio Theologica de communicatione Divina propagatione  
religionis christiane sub cruce.*

3. Breithauptii *ἑποτάτωρ ἰσχυρότερη λόγῳ S: Forma Sanctum  
Ejurdem disertal: de concubitu a Christo verborum.  
et Apoptis prohibito.*

*Disertatio II de Perfectione Partium.*

*Observationum Theologicarum de Conventibus B. Lutheri in  
Galatas Exercitationes X.*

*Disertatio Syncretisâ Adami primi et Secundi  
ex dicto 2 Cor: 7. 21. exhibens. in unguentis  
Observationes Theologicæ de Imagine Dei  
de Notis candidiorum S. Mûnsterii  
de Nexu communicationis nostræ cum Deo  
in unguentis Zieroldi.*

*de Angelis in Matth: XVIII. 10. in unguentis Bayeri*

*de Myserio unionis fidelium cum Deo et Christo  
in unguentis.*

*de precum christianaum veritate*

*de Vocatione primaria et secundaria*

*de Vita Christi in fidelibus in galat: 11. 20.*

*Περί τοῦ τῆς νεότητος προσηγορίας S: de Ado,  
ptionis spiritu. in unguentis Meuseri.*

176  
Fa-1092(68)

Breitkampff Animadvagationes exegeticae dogmatico-practicae  
in Epistolam S. Pauli ad Galatas.  
de Indis Theologicis, in argumentis Lyfii.  
Animadvagationes exegeticae dogmatico-practicae  
in Epistolam S. Pauli ad Philippenses.  
Antonii Trubatus Theologicus de Natura et Qualitate in Materia  
de Virtutibus.  
Observationes Theologicae de conversione Samaritanorum  
ad Christianismum ex Joh: 19.  
de infirmi haerensia fidei, quae iustificat et quatenus  
iustificare dicitur ex libris Symbolicis.  
de Superstitione iulibet pontificii imperio Bullae novissimae  
Innocentii XII. in argumentis de Lith.  
Trubatus theologicus - Moralit de genuino principio  
christianorum.  
Scribitur historica - Theologica in varia Rationalismi  
et Rationalismi capita.  
de Estimazione rationis humanae theologicae.  
de Libertate christiana Aphorismi Evangelicis  
de Pathos Lutheri Animadvagationes historico-theologicae  
advocatus Cardinal: Pallavicinum et alios historiographos.  
de odio poenitentiarii.  
Prologum Repetivum Lib. Theol. S. Chemnitii  
de Ostra Mali hujus profundissimi in homine receptio  
Aphorismi theologici.  
Speculationum historico-ecclesiasticum ex Praefat: S. Lutheri  
in libros veteri Testamenti.  
Consideratio theologica conditionis salutariae.  
de Autoritate Ecclesiae, quae Mater est, positiones  
theologicae ex Joh: 11. 2.  
Dissertatio de qualitate fundamentorum.  
Bona Meditationum biblicarum, una de Immanuele  
ex Math: 1. 18. altera de "Iakovus dicitur"  
libris confitentibus constituta ex Joh: 11. 2.  
Exercitio historico-theologica de vita Harmonis  
Episcopi Huldbrandiensis.

Verte

Antonii Dissertatio de Spiritu Modestationis occasione  
dicti 2 Timoth: 1. 7.

veritas christianae Religionis ipsis iudicium  
obstructionibus confirmata expeditur.

Breithaupti Theses Theologicae de Mysterio crucis  
ex utraque epistola ad Corinth: potissimum derivatae

Antonii de Quodam Fidei

THESES THEOLOGICÆ  
DE  
MYSTERIO  
CRUCIS,

Ex utrâque Epistolâ ad Corinthios  
potissimum derivatæ,

Quas

ANNUENTE DEO,

IN ALMA FRIDERICIANA ELECTORALI,  
PRÆSIDE

JOACH. JUSTO BREITHAUPT,

S. Theol. Doct. P. P. Semin. Theol. Dir.

Consist. Duc. Magd.

Solenni disquisitioni sistit

JOHANN-GEORGIUS *Sövel*

Oscaniensis Cœnob. Hildersl. Conventualis.

Ad d. Octobr. A. MDCXCIII.

---

HALAE, TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP.

THESES  
DE  
MYS TERIO  
C R U C I S  
Eximius Ludov. de Gortaliis  
S. Theol. Doct. P. Senn. Theol. Doct.  
JOHANN GEORGES  
CHRISTOPH ANTONIUS SEITLERI, ACADEMIAE



IN NOMINE CRUCIFIXI.  
THESES THEOLOGICÆ

De  
**MYSTERIO CRUCIS,**

ex utraque epistola ad Corinthios potissimum  
derivatæ.

I.



Postolus cum Corinthiis agit de salutis fundamento, quod rectè quidem illi ex Evangelio acceperant, sed non ea fidei integritate custodierant apud animum, quam natura ipsius atque indoles divina jure suo vendicat. Summa ejus hæc erat tradita, quod Filius Dei lapsus

hominibus factus sit sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio 1. Cor. I, 30. Ita crediderant sub Crucis Mystero, quando, suæ sapientiæ ac justitiæ deploratis sordibus, Christum amplexi fuerant: non vero sub eodem crucis mysterio satis excolebant fidem, quandoquidem hujus sinceritatem humanarum admiratione virtutum corrumpebant, ita ut documento essent disfidia, non ex fide, verum istius corruptione existentia, aliaque vitæ hujus desideria. Itaque ostendit Paulus, quam facilis sit, abusu intellectus, fidei depravatio, nisi fundamentum, in mysterio crucis locatum, in eodem absque distortionem firmiter conservetur, ut ex vero amore, tanquam fidei fructu, omnes vivendi ratione proficisci queant.

A 2

Quod

Quod quidem argumentum ut totam salutis causam, fi-  
dei que proprietates, pericula & casus manifesto detegit,  
ita id ipsum juxta Epistolæ utriusque ductum paulo alti-  
us indagare, bono cum Deo instituimus.

II.

Mysterium Crucis dicitur Apostolo *sermo de cruce*  
i. Cor. I, 18. item *crux Christi* v. 17. Gal. VI, 12, 14. quoniam  
doctrina hæc Evangelii docet, ipsam æternæ vitæ con-  
sequendæ causam in morte crucis, quam Filius Dei pro  
peccatis hominum sustinuit, credenda positam, creden-  
tibusque crucem Christi capitis certo modo similiter fe-  
rendam esse. Hæc autem Evangelica veritas, quæ in  
Redemptione, Justificatione & Sanctificatione versatur,  
cum ita arcana sit, ut caro & sanguis eam revelare ne-  
queat, *mysterium fidei* appellatur i. Tim. III, 9. *sapientia Dei*  
*in mysterio*, & *occulta* quidem illa (1) *quam præsinierat Deus*  
*ante secula ad gloriam nostram* i. Cor. II, 7. (2) *quam nemo*  
*principum seculi hujus cognovit*, v. 8. (3) *qua sola docemur,*  
*quæ paravit Deus iis, qui ipsum diligunt* v. 9. Quæ ut latis-  
sime patent, sic etiam sese extendit Mysterium Crucis, vel  
ideo quod dilectio apud neminem mortaliū, nisi ex eo,  
oriri sancta potest. Quoniam vero mysterium illud pror-  
sus remotum à ratione sibi relicta existit, huic stultitia est,  
quique isti obtemperant, *hostes crucis Christi* vocantur  
Phil. III, 18.

III.

Ante Lapsū in statu Integritatis homo non per  
crucem quandam ad regnum cœleste perducendus e-  
rat, verum absque cruce voluntatis humanæ cum divina  
requirebatur conformitas, per Legis impletionem, ad  
quam satis virium acceperant Protoplasti, facile præstan-  
da, tanquam medium unicum, quo ex hominis parte bea-  
titas

titas in terris conservanda, & aeterna salus in caelis obtinenda esset. Lex enim ad vitam data est Rom. VII, 10. ut tum quidem ex eâ potuisset vere existere justitia. Galat. III, 21. Quam diu ergo ex auctoritate Dei, ratione sapientiae & sanctitatis, justitiae & potentiae, totus pendebat homo, incredibili cum voluptate implebat legem, Deique imagine & vita beatissima fruebatur, gloriam ei deferens pariter, atque ex eo capiens verissimam simulac vero divini verbi veritatem in dubium vocabat, carnis exorta est sapientia atque inimicitia adversus Deum Rom. VIII, 7. qua auctoritatem, Dei propriam, in Diabolum & semetipsum ille transtulit, amisitque ita divinam imaginem atque vitam, similitudine Satanæ & morte attracta. Rom. V, 12. Joh. VIII, 44.

Post Lapsum non supererat via per legem ad Deum. Auctoritas quidem aeternae Dei potentiae & divinitatis relinquebatur agnoscenda ex creatis rebus, eratque humanis mentibus inscripta notitia Dei, ipsumque Legis opus in conscientia, ne excusatione uti possent mortales Rom. I, 19, 20. sed detinuerunt hi veritatem illam injustitia ib. c. I, 18. siquidem adhibitis naturae corruptae viribus, ductum proprium sequentes, in ratiocinationibus suis vani facti sunt, & obtenebratum est desipiens cor eorum. Cum igitur sese haberent pro sapientibus, stultitiâ oppleti sunt disquisitores hujus seculi, nec suam per sapientiam mundus cognovit Deum in ipsius sapientia; neque Deum, quodammodo cognitum, ut Deum glorificaverunt, aut gratias ei egerunt. Rom. I, 21, 22. 1. Cor. I, 20, 21. Legem enim ne sufficienter quidem cognoscere ex natura poterant Gentiles Rom. VII, 7. ut autem praestarent

rent eam dignem, tantum aberat, ut etiam vel ipsi veritatem Dei transmutarent in falsitatem, Creatoris loco rebus creatis deferentes cultum ib. c. I, 25. vel alios ad idola muta inconsiderate sequerentur. 1. Cor. XII, 2.

V.

Tametsi vero lex revelata Judæis gloriosa erat, nec hi tamen ejus beneficio valebant ex tenebris salutariter emergere. Quod enim gloriam illius ferre non possent Israelitæ, sed Moses velamen faciei suæ imponere cogeretur, significabat certe, corda ipsorum obtusa atque inepta esse ad Legis spiritum veritatemque assequendam atque implendam; à quo velamine haud liberabantur, donec spiritu Evangelii converterentur ad Dominum. 2. Cor. III, 13, 14, 16, 17. Lex nimirum per carnem viribus & spiritu vitæ destituta est, facta lex peccati & mortis Rom. IIX, 2, 3. ut peccatum occasione per mandatum, sumta seducat hominem, perque illud occidat, Rom. VII, 11, 13. Et vero si quis circumcissus in litera est tantum, non in spiritu c. II, 29. homo animalis adhuc est, haud capax eorum, quæ sunt Spiritus Dei 1. Cor. II, 14. nec Legi Dei subjici potest Rom. VIII, 7. multo minus ex Legis operibus justificari. c. III, 20.

VI.

Cæterum utrique & Græci & Judæi, auctoritatem Dei non spiritualiter capientes, gloriam nihilominus in ea quærebant suam, omniaque alia, quam crucem, meditabantur. Illi sapientiam rationi propositam, hi potentiam cum Lege patefactam suspiciebant, utriq; deficiente spiritu, superstitione capti, quæ apud ipsos tota eo connitebatur, ut mererentur aliquid coram Deo. Ethnici cum debuissent naturæ lumine qualicunque ad

ad Deum glorificandum, gratiasque ei agendas, & cognitionem Dei sollicito veritatis studio probandam uti Rom. I, 21. 28. contra incorruptibilis Dei gloriam mutant in efformatam imaginem corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & reptilium v. 23. aliosque ex aliis fingebant Deos, ac nesciebant idolum in mundo esse nihil 1. Cor. VIII, 4. vel ex ipsis sapientiae reliquiis sibi idolum faciebant, quærentes præter Deum scientiam, in qua conquiescerent. Act. XVII, 21, 23. Israelitæ gloriabantur de uno Deo & lege, sed per legis transgressionem ipsum dedecorabant, tanquam idolum, ut Dei nomen blasphemaretur in gentibus Rom. I, 27, 23. 24. cumque ex miraculis, potentiae divinae signis, ansam credendi capere, fidemque corroborare potuissent, dona ejusmodi ut idola itidem prosequerentur, ea ipsa quidem nunquam non appetentes, corde autem manentes alieni à Deo, dicti idcirco à Christo adulteri Matth. XIII, 39. XVI, 4. Ita existebat, quod 1. Cor. I, 22. legitur; *Judei signum petunt, & Græci sapientiam, neutri veritatem.*

VII.

Cur autem quærebant potentiam & sapientiam? nimirum ut de ea gloriarentur, Dei cultum in se suumque honorem convertentes; & conscientiae quidem stimulis agitati, in superstizioso cultu acquiescerent, quo ipso iterum suam extruebant gloriam, iræ divinae temere opponendam. Tantopere corrupta est ratio, ut, quicquid sapiat, mors sit Rom. VIII, 6. & inimicitia adversus Deum v. 7. Unde sequitur, qui in carne ita sunt, eos placere Deo non posse v. 8. Caro enim omnia, quæ Dei sunt, metitur ex depravati ingenii sensibus, supra

pra infinitam auctoritatem arrogantiam e latis, intellectu  
& voluntate: nec videt miserrima, quod ea, quæ sum-  
mi Numinis sunt, iudicio perverso rapiens, amore sui  
in venenum sibi commutet, loco gloriæ ignominiam  
acquirens; cuiusmodi quid de hostibus crucis Christi  
Phil. III, 19. dicitur. Quo minus autem hoc animad-  
vertit mens occæcata, eo miserabilior est sane, ut glo-  
riatio ipsi exclusa omnis sit Rom. III, 27. Quanta vero  
illa misericordia, quantum mysterium, quod, cum re-  
ditus hominibus ad gloriam nullus superesset, ipse  
*Dominus gloriæ* pro talibus subire crucem, peccatumque  
in carne condemnare voluerit, in similitudine carnis  
peccati, pro peccato, *crucifixus*, & factus nobis sapientia  
à Deo, iustitiæque, & sanctificatio, & redemptio, ut, qui  
gloriatur, in Domino gloriatur! 1. Cor. I, 30, 31. Rom.  
VIII, 3.

VIII.

Quocirca observanda venit multiplex contume-  
lia, quæ Deus carnem, quæ tota eo fertur, ut gloriatur  
coram ipso, admirandis modis ad pudorem adigit. Pri-  
mo naturalis gloriatio obtunditur, quando sapientia di-  
vinæ imaginis deserta, homo carnalem adhibet, nec  
quidquam ex hac ipsa vel intelligere vel præstare pot-  
est Deo dignum. Postquam enim inimicitiam adversus  
Deum rebellis insipientia in genus humanum intulit,  
nunc quidem mortales gloriam Dei oculis vident, au-  
ribus audiunt, & mente concipiunt ex noticia Dei insita  
& acquisita, ut nempe vires experiantur suas; sed per  
sapientiam non cognoscit Deum mundus in Dei sapien-  
tia 1. Cor. I, 21. ut pluribus §. IV. dictum est. Quod ve-  
ro objectum cognitionis Dei in creaturis mansit reli-  
quum

quum, factum id omnino, ut in pudorem conjiciantur homines, si caliginem, ultro contractam, agnoscant; neque ullam habeant excusationem, qui sapientiam divinæ suam prætulerint, retinuerintque illa sensibus exposita, circa quæ versari sapienter & occupari mens debeat, si queat. Quapropter infandum experti damnum, non repèientes, quemadmodum veritate relicta vere utendum sit, ex Scriptura demum accipiunt, spiritualia dijudicari debere spiritualiter, nec capi ratione animali posse, omnemque viam, quam Deus præscribit, videri stultitiam, quam autem miseri de divinis imaginantur, labyrinthum ipsis, & Deo stultitiam esse, 1. Cor. II, 13, 14. propterea quod lux hominis, in tenebras conversa, nihil veri videt. Luc. XI, 34, 35.

IX.

Secundo, cum Deus ab aeterno prævidisset, ita totaliter depravatum iri hominem, ut omnem ipsius auctoritatem, licet hujus vestigia conspicienda relinquere, perverto judicio & amore sui esset violaturus, carne dominium in tenebris obtinente; nec viam esse reliquam, qua miser ille per apertam illam sapientiam, quippe quam omnem temeraret, propriam in eâ quærendo gloriam, vel incurrendo in desperationem, ex tanta caligine eriperetur, & beatitudinis redderetur compos; ecce! ex mera gratia & misericordia nos ad gloriam reducturus, viam istiusmodi ante secula præfinit, quæ sapientiam in mysterio teneret absconditam 1. Cor. II, 7. ita quidem, ut rationis corruptæ ductui, gloriosissima quæque affectanti, sub crucis specie prorsum esset contraria. Atque hæc altera existit contumelia, sed magno cum beneficio conjuncta. Sic

B

enim

enim effectum simul, ut animus à sui ipsius arbitrio in  
consilium vocando retraheretur, & crucifixus fidei ac  
voluntati divinæ ex Verbo capiendæ redderetur idone-  
us. Quod utrumque intendit Evangelium prædicans,  
quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in mentem  
hominem venerunt, quæ paravit Deus iis, qui ipsum di-  
ligunt v. 9.

X.

Tertio ponamus, viam crucis cognitam homini-  
bus fuisse, qua sola post lapsum reditus ad gloriam pa-  
teret, læsæque esset justitiæ Dei satisfaciendum prius;  
ipsam tamen illi crucem in honorem suum non potuif-  
sent non convertere, putantes semetipsos vel pati vel  
agere quid posse, quo æterna majestas reconciliaretur;  
ad quod nec fieri ullo modo, nec cogitari absque de-  
mentia poterat, quanquam tota eo inclinata natura post  
Crucis revelationem, ut Apologia Aug. Conf. in Papi-  
fimo ostendit. Ita ergo omnis hominum gloriatio in-  
teriit, totusque mundus condemnationi mansit obno-  
xius, misericordiam nullam apprehendens absque me-  
rito præstando, ut gloria in creaturam redundaret; a-  
liam vero ex alieno merito nulla conjectura sperans.  
Quo major credenda est *Φιλανθρωπία*, qua Deus gratiam  
non offerre modo voluit, sed ut huic justitia locum re-  
linqueret, decrevit quoque unigenito æterno filio non  
parcere, verum ipsum volentem hostibus suis homini-  
bus facere sapientiam, justitiam, sanctificationem & re-  
demtionem 1. Cor. I, 30. ut quisquis in eum crediderit,  
hoc est, in eo tanquam sapientia, justitia, sanctificatione  
& redemtionem, tanquam Domino gloriatur, vitam recu-  
perare possit æternam. v. 31. Joh. III, 16.

XI. Quar-

Quarto ponamus, annunciatam hominibus isthanc satisfactionem esse, una cum conditione, quod quisquis eam credat, salutis capax sit: nonne iterum insignis contumelia est, quod, reconciliatione dudum acquisita, nemo ex suis viribus fiduciam in ea vere collocare queat, nisi ex eodem Christi merito Spiritus Sancti admittat operationem, concipiatque ex ipso divinam fidem? vel, si humano tantum credendi modo circa meritum Christi versetur, animo ex morte & resurrectione Domini haud regenerato per Spiritum S., neque justificationis aut salutis particeps quisquam fiat? utpote qui vel in ipsa fide, tanquam ex se concepta, gloriationem præ se ferens, neque agnoscens, quod Jesum dicere Dominum nemo possit, nisi per Spiritum Sanctum 1. Corinth. XII, 3. merito in ignominia permanet.

XII.

Quinto augetur eadem, si cum Paulo ex iis omnibus reputemus, quod stultitia Dei sapientior sit, quam homines, & infirmitas Dei validior sit, quam homines 1. Cor. I, 25. Hoc enim tum ex propositis salutis mediis manifestum est, siquidem ubi omnis sapientia hominum excogitare nihil potuit tam dignum, quo consistere coram Deo liceret, nec potentia efficere valuit, quo Diaboli, uti & mortis peccatique vis superaretur; utrumque ita produxit Deus, ut tantum cruce stolidi & infirma uteretur, unde & stulta enata est prædicatio, nihil requirens nisi fidem in Crucifixum vers. 25. tum vero in sensus quoque incurrit, ex divinæ vocationis eventu: nam quæ stulta sunt mundo, elegit Deus, ut pu-

defaciat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat robusta; & ignobilia mundi, & pro nihilo habuit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, abolet: *ut ne gloriatur ulla caro coram eo.* 1. Cor. I, 27, 28, 29. Et vero si quis sapientium, fortium & nobilium, conversus ad Dominum est, factum id non aliter, quam quod se stultum, infirmum atque ignobilem coram ipso agnosceret. c. III, 18.

XIII.

Tandem ut ignominiam istam humano generi ex merito competentem, omnisque gloriationis abrogationem præsupponit Justificatio, uti Apostolus Romanos priore Epistolæ parte docet; ita Renovationis universum opus circa ejus turpitudinis reliquias occupatur semper, in quibus agnoscendis humilitas & contritio, in subigendis fides exercetur. Ipsa vero pœnitentia est tristitia secundum Deum ad resipiscentiam & salutem, quæ parit sollicitudinem, defensionem, indignationem, timorem, desiderium, æmulationem & vindictam 2. Cor. VII, 10. 11. armis spiritualibus adhibitis adversus ratiocinationes omnemque sublimitatem, quæ sese extollit contra cognitionem Dei, ut in captivitatem redigatur omnis intellectus ad obediendum Christo, vel vindicetur omnis contumacia ab iis, quibus curam animarum commisit Deus. c. X, 4, 5, 6. Quorum quidem fieri nil potest, absque sensu contumeliæ; quæ si gloriationem frangat ope Spiritus Sancti, ut homines fidei obsequiosam aurem præbeant, *crux redditur salutaris.*

XIV.

Ex quibus hætenus allatis duo illa, in quibus cardo,

do, ut ita dicam, Myſterii Crucis vertitur adeo, ut per totam Scripturam inculcentur præter cætera, optime intelligi poſſunt: videlicet, *concluſiſſe Deum omnes in incredulitatem, ut omnium miſereretur*, Rom. XI, 31. Ex-  
 plum habetur in Paulo, qui cum viſus ſibi eſſet Phariſæ-  
 orum juſtiſſimus, maximus erat peccatorum, conver-  
 ſusque deinceps hoc ipſum agnoſcebat, nec quidquam  
 ſibi, ſed omnia divinæ tribuebat miſericordiæ 1. Corinth.  
 XV, 9, 10. Atque hinc animadvertere licet, quantæ  
 neceſſitatis ſit doctrina de juſtificatione gratuita, ut,  
 ejus nihil ſanctitati propriæ, vel internæ vel externæ, ſed  
 quicquid in ea ſpectetur, Chriſti meritis, tanquam præ-  
 tio & propitiationi, Deique promiſſioni, quam men-  
 diciffimi peccatoris apprehendit fides, unice adſcriba-  
 tur. Si quid enim juſtitie inhærentis in foro divino  
 offerretur, gloriatio non omnis ceſſaret; juſtitia autem  
 divina, cui non niſi infinitum ſatisfacere poteſt, arro-  
 gatione illa magis irritaretur, quam placaretur. Sic  
 vero gloria Deo verè ſua aſſeritur, Patri infinitæ miſe-  
 ricordie, ſi homo omni gloriatione exuitur, tanquam  
 indignus, qui in judicium coram Deo prodeat, ut juſti-  
 ficatio proficiſcatur ex eo, quod *Deus fecit illum, qui  
 non novit peccatum, pro nobis peccatum, ut nos, qui non  
 novimus juſtitiam, efficeremur juſtitia Dei in ipſo* 1. Cor.  
 V, 21. qui peccator factus in nobis, hoc eſt, omnium no-  
 ſtrorum peccatorum reatu ipſi imputato, ut reatus no-  
 ſter ejus tegatur obedientia, dum juſtitia ejusdem no-  
 bis imputatur. Unde enaſcitur demum gloriatio in  
 Domino, poſtquam *crux paupertatis ſpiritualis* nihil natu-  
 ræ aut gratiæ inhæſivæ reliqui fecit, in quo gloriari vel

liceat vel libeat: eaque fiducia certissimum beatitatis signum est. Matth. VI, 3.

## XV.

In hoc autem altero ipsa mysterii crucis profunditas latet, quod Filius Dei, per quem creata omnia sunt, tanta gratia nos complectatur, ut crucem paupertatis ultro sustinuerit, ex qua ipsa nos ditesceremus, 2. Cor. VIII, 9. multo plura & potiora in eo tanquam altero Adamo recipientes, quam amissum in priore fuit Rom. V, 20. Lex, quæ nos debebat cælo, indefinenter nos accusabat, quod viribus destituta esset, non suo vitio, sed carnis seu naturæ nostræ corruptæ & DEO repugnantis culpa. Caro igitur in homine emendanda erat: cum vero neque hoc fieri absque satisfactione, neque hæc ab isto, omnium opum indigo, præstari posset, misericors Deus voluit naturam nostram in filio suo unogenito restituere in integrum, misitque eum in carne, simili nostræ peccato obnoxia, ut peccatum in ipsa carne condemnaret, perfectissima illa nostræ in Christo naturæ sanctificatione gratuito nobis imputata, Rom. VIII, 3. Ita enim fiebat, ut Lex per fidem stabiliretur in nobis Rom. III, 31. qui tales prorsus reperimur in Christo, quales requirit absolutissima Legis formula, etsi in nobis nihil cum Paulo sumus, 2. Cor. XII, 11. Ut autem sic condemnari posset peccatum in carna, iræ divinæ satisfecit Dominus, qui peccata nostra ipse portavit in corpore suo super lignum crucis 1. Pet. II, 24. & ex iis, quæ passus est, didicit obedientiam Heb. V, 8. & pro gaudio sibi proposito pertulit crucem contempsitque ignominiam Heb. XII, 2. qua tolerata gloriationem nostram expiavit.

XVI. Nec

Nec vero præmittendum, quod dicti Apostoli in adductis locis apponant, condemnatum esse peccatum, ut jus Legis impleretur in nobis, non secundum carnem incedentibus, sed secundum Spiritum Rom. VIII, 4. Christum portasse peccata, ut nos peccatis mortui, justitiæ viveremus, viciis ejus sanati, 1. Pet. II, 24. factum causam salutis æternæ omnibus ipsi obtemperantibus Heb. V, 8, 9. credentes intueri oportere in fidei auctorem & consummatorem, ut ipsius patientiam imitentur XII, 2. Ex quibus & similibus facile intelligitur, sapientiam illam in mysterio fundari quidem in Jesu Christo, eoque crucifixo 1. Cor. II, 2. sed non ita in eo terminari, ut nihil in hominibus effectum velit. Tametsi enim omne meritum, quo gloriari in forō divino liceat, obedientia Christi activa & passiva exhaurit omnino, nec locum nostro ulli in justificatione relinquit; tamen ab æterno constitutus ordo intendit simul imaginis Dei instaurationem ex eodem Christo merito, quo satisfactum pro peccatis, apud singulos. Debet igitur justitia etiam in nobis ex Christi Spiritu inchoari virtute ipsius crucis, nempe ut in nobis quoque erigatur, lex per sanctificationem, non, ut hæc sanctimonia coram Deo quidquam mereatur, verum ut Spiritus confirmationis, unctionis & obsignationis sit arrhabo 2. Cor. I, 21. 22. & testis intemperatæ adoptionis in Christo Rom. VIII, 16. Hac ergo fini Apostolus tam solícite cum satisfactione & justificatione conjungit sanctificationem, ut intelligamus, quod verissimum est, frustra de Fide ac Christo apprehenso gloriari, qui re ipsa non ostendunt, se Christi Spiritus esse participes. Namque impœnitentes

tes hæreditatem regni Dei non possidebunt, sed homines ita abluuntur, ita sanctificantur, ita justificantur, in nomine Domini Jesu & per Spiritum Dei nostri, ut, si fuerint impii, esse tamen desiderint vera pœnitentia & fide 1. Cor. VI, 10, 11. Ea nimirum in Mysterio Crucis fit communio caput Christum inter & membra credentes, ut ipso uno mortuo pro omnibus, omnes sint mortui; & pro omnibus mortuus ille sit ita, ut, qui vivunt, posthac non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit. Unde qui in Christo sunt, nova sunt creatura, non secundum carnem amplius agentes. 2. Cor. V, 15, 16, 17.

XVII.

Hæc Mysterii Crucis sacrosancta ratio ut eò distinctius capiatur, etiam atque etiam considerandum, quod pro fundamento agnoscat meriti Christi acquisitionem, requirat autem ejusdem applicationem, qua tripliciter crux Domini accommodatur nobis, ut *donum*, ut *operans* seu *efficax*, atque ut *exemplum*: ceu posteriore loco citato animadvertere est. Observandum vero, quod & efficacia 2. Cor. XIII, 5. Rom. VI, 6. Gal. VI, 14. & exemplum 2. Cor. VIII, 9. 1. Pet. II, 21. donum etiam gratuitum sanctificationis dicatur, 1. Cor. I, 4, 5, 6, 7. XV, 10. Rom. V, 15. VI, 4, 5, 6. Eph. II, 10. etsi hisce locis justificatio non excluditur, sed vel præsupponitur, vel una exprimitur; uti & triplex comprehenditur respectus 2. Cor. IX, 15. Applicatio ad justificationem pertinens, non nisi unica fide, seu apprehensione meriti in promissionibus, ex parte hominis perficitur; quæ quidem vera esse fides nequit, nisi Crucis Christi collata efficacia mentis humanæ indolem emendarit, ut rationi corruptæ obsequi-

quum denegetur, victisque persuasionibus de alia sapientia, iustitia, sanctificatione ac redemptione, & quasi captivis ductus 2. Cor. X, 5. succedat obedientia fidei in nomine Jesu Christi Rom. 1, 5. ut hic solus sit sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Quod ipsum nomen Domini Jesu iustificare haud posse censendum est, si nullam homo rationem habeat sanctificationis per Spiritum Dei nostri efficiendæ 1. Cor. VI, 11. hæc autem si per fidem inceperit, deinde exemplo Christi corroboratur, 2. Cor. XI, 2, 3. Gal. III, 1. IV, 19.

XIIX.

Triplex illa applicatio necessaria utique existit, verum ita, ut nec confundatur, nec separetur, sed distinguatur juxta fidei analogiam. Uti enim duo sunt *redemptionis fructus* haud divellendi, *iustificatio & sanctificatio*, sic ipsa meriti applicatio circa utramque versatur, etsi diversis modis. Male confunditur ab iis, qui justificationem hominis coram Deo ipsam vel imitationi Christi, vel infusioni novarum virium attribuunt: male ab iis separatur, qui justificationem illam competere homini posse putant, licet hic mentem Christi nulla animi renovatione indipiscatur: scite distinguitur ab iis, qui ex Dei verbo affirmant, justificationem fieri per imputationem doni iustitiæ Christi, fide apprehensi; sanctificationem fieri per communionem efficaciam mortis & resurrectionis, atque imitationem vestigiorum Christi; sanctificationem vero non absque justificatione, neque hanc absque illa cuiquam contingere, utramque autem existere simul, ut uno eodemque momento gratuita penes hominem accidat *mutatio & exte-*

C

*rior*

*rior & interior.* Exterior non dicitur, quod fiat extra hominem, cum justificans Deus cor ingrediatur per fidem; verum quod in se spectata non sit ipsa animi interna mutatio, sed mutatio status iræ in statum misericordiæ in foro divino. Interior vocatur ab interna alteratione, qua impius & injustus redditur pius & justus, ex morte spirituali translatus in vitam spiritualem; tempore illa quidem una cum justificatione contingens, natura tamen & ordine quoad regenerationem, seu fidei accensionem, prior justificationis actu, utpote qui prius nemini, quam affecta per Spiritum Sanctum fide vera & viva, redemptionem factam in Jesu Christo imputare potest; licet posterior sit, quoad bonorum operum & passionum exercitium, in quo strictè dictæ Renovationis & Sanctificationis negotium consistit. Atque ita Christus omnino applicandus nobis est, factus eapropter à Deo sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio 1. Cor. I, 30, via, veritas & vita Joh. XIV, 6.

XIX.

Cum nego igitur ad Patrem accedere, nisi per Filium ib. nemo ad Deum, nisi per mediatorem hominem Jesum Christum ut Dominum, reduci queat 1. Tim. II, 5. neque vero aliter, quam per Crucis mysterium atque extremæ exinanitionis viam, Dominus ille gloriæ nos redemerit, nec quisquam negare ausit, nisi hæreticus, ad acquisitæ redemptionis applicationem quod vera, & viva fides sit necessaria: quæstio male sanæ rationis temeritate quadam incidit, an etiam ab iis, quibus per fidem redemptio Christi applicanda, similis quædam exinanitio vel abnegatio necessario requiratur? Ratio  
dia-

dialogismis suis seducta hoc negaverit, quia Christum pro peccatis humani generis passum, ut homines quoque creaturis sese abdicent, non flagitare putat, eo caliginis demersa, ut injuriam Mediatori illatam interpretetur, si quis hujus rei necessitatem urgeat. Videt equidem, diligendum esse Deum, neque id fieri absque fide posse, ex Verbo discit; crimina quoque fugienda, non potest non fateri: tantæ autem sunt tenebræ, ut impediant aciem ingenii, quo minus eadem Scriptura, docente agnoscat, nec fidem, nec dilectionem Dei, aut peccatorum fugam esse veram, nisi homo se ipsum & mundum abneget. Hic error velamen illud Moysis 2. Cor. III, 15. affixum tenet, ut Deus cordibus immundiciem ipsorum & magnitudinem peccati ostendere nequeat, facitque penes hominem, ut præpeditus mentis oculus mysterium crucis haud digne intueatur, perversis Scripturæ interpretationibus semet temere consolans. Quapropter veritas ex origine producenda, invictisque munienda Scripturarum effatis, ut pervertendis aliis prædicatur ansa, ipsumque rei fundamentum ponendum in aprico est. Quod utrumque tamen præstanti sit persuasissimum oportet, non agi de eo, quomodo justificet fides, quippe quod in apprehendendo Christi merito cernitur, verum de hoc, quæ & qualis sit fides, promissionum illarum Evangelii vè capax?

XX.

Ipsum rei fundamentum est mysterium Crucis, cujus & in Christo, & in iis, qui ipsius membra fiunt, intima penitus indaganda ratio venit. Christus sese exi-

C 2

nani.

nanivit, forma servi assumpta, factus obediens usque ac mortem Crucis, ut satisficeret pro peccatis, quibus merueramus pœnas & animæ & corporis temporales atque æternas: has enim sponsor ille noster in se recepit, tantos animæ & corporis dolores passus, ut omnes internæ externæque vires cruciarentur. Quo ipso merito simul præbuit nobis *exemplum* mortificationis, & *vires* acquisivit crucifigendæ carnis, h. e. facultatum, animæ & corporis adversus legem pugnantium. Existit hinc *Crucis* ipsius *efficax* seu *operans communio*, quæ efficit in nobis abnegationem, ita ut uno pro omnibus mortuo, omnes sint mortui 2. Cor. V, 15. abdicantes carnis inordinatam rationem v. 16. id quod quam optime intelligitur ex Rom. VI. ubi communio isthæc describitur ejus indolis, ut cum Christo mortui dicantur mortui peccato, nec amplius vivere in eo, baptizati in Christi mortem, confepulti & complantati conformatione mortis ejus, scientes veterem suum hominem cum ipso crucifixum esse, ut aboleatur seu inefficax reddatur corpus peccati, ne peccato posthac serviant. v. 2, 3, 4, 5, 6. Hoc enim peccati corpus, totidem membris constans, quot vitiosi affectus in natura hominis dantur, Col. III, 5. per lapsum tantopere emerfit, ut, cum in pristina unione cum Deo appetitus rationalis & sensitivi potentiarum usus sanctissimus fuisset, deinceps exorta corruptione extra Deum istæ moverentur, & omni prava inflammarentur cupiditate, sequerenturque malæ actiones corporis, carne dominium nacta, cujus quasi debitores existerent homines Rom. VIII, 12, 13. Illi igitur concupiscentiæ stimuli crucifigi debent in iis, qui credere in Christum volunt,

volunt, ut dici possit de omnibus, qui Christi sint, quod crucifixerint carnem (naturæ ductum, quippe qui sine crucifixione non potest non inordinatus esse & abusivus) cum affectibus & concupiscentiis Gal. V, 24. Quæ ut ex disertis Apostolorum verbis dubitationem nullam admittunt, ita necessitas rei manifesta simul fit probe consideranti, quod in pœnitentia subjectum fidei capax esse nequeat, nisi ratiocinationes destruantur, omnisque sublimitas, quæ sese extollit adversus cognitionem Dei, & in captivitatem redigatur omnis cogitatio ad obsequium Christi 2. Cor. X, 5. ut hic solus sit sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio; nec vero deinde renovatio possit excoli, nisi ex fide tanquam radice progerminet abnegationis fructus, spontanea videlicet sensuum inordinatorum mortificatio, ne postea peccato serviatur.

## XXI.

Hæc autem *sui abnegatio* exerceri nequit absque *abnegatione mundi*, quæ pro objecto habet mundanas cupiditates Tit. II, 12. non tantum impia exempla, sed res etiam omnes, quatenus caro depravato mentis atque appetitus sensu in eas fertur. Nam Adamus quidem rerum omnium erat Dominus constitutus, ususque hæc dominio castissime, quam diu integritatis status durabat, ubi principium actionum & terminus præsentissimus existebat Deus: at enim, quando per lapsum miser ille in merum sui amorem extra Deum incidit, ratio dominandi in libidinem circa omnia carnalem est conversa, adductusque homo in captivitatem creaturarum & servitatem adeo, ut mortis & peccati lege vincetus nul-

lis non abuteretur. Captivitatem eam captivam Christus duxit cum peccato, morte & inferno 1. Cor. XV, 65, 66, 67. postquam ipse pauper, captivus & servus ad mortem usque crucis humillime obedivit Phil. II, 7, 8. Ut vero lex spiritus vitæ in Christo Jesu, acquisita per resurrectionem Domini, liberet quenquam à lege ista peccati & mortis Rom. VIII, 2. ipsa etiam in mente & voluntate creaturarum adhæsiō, quæ veteris hominis pars magna est, contra primum omnium præceptum directā, intimo crucis pœnitentialis sensu, ex ipsius mortis Christi efficacia, frangatur necesse est. Ex quo liquet, abnegationem sui absque mundi abnegatione esse nullam. Neque enim aliquis, vel sapientissimus aut religiosissimus sibi visus, ad veram fidei libertatem ab abusu objectorum pertinget, nisi hunc in pronitate ad colendum se extra Deum, tanquam ipsam stultitiam agnoscat, captivitatemque in omni rerum abusu obviam; ut invocet nomen Domini, ex cujus vulneribus sanetur, & convertatur à tenebris ad lucem, à potestate Satanae ad Deum Act. XXVI, 18. Sic demum homo, cœca dominii captus imaginatione, & in servitute detentus, omni gloriatione indignum se reputat, Dominumque solum alterum illum Adamum sequitur, mortem crucis adversus carnem in corde suo expertus, sese non usum rebus, sed abusum, easque non tam in Domino, quam propter se in natura improba dilexisse dolens; ideoque Christum, pro tanta peccati labe passum & mortuum, ut salutis fontem, solam sapientiam, solam justitiam, solam sanctificationem, solam redemptionem suam toto animo complectitur. Hæc est illa Apostoli de abnegatione mun-

mundi sententia, quā vere conversos, qui habent uxores, jubet esse, ut non habentes, & qui flent, ut non flentes, & qui gaudent, ut non gaudentes, & qui emunt, ut non obtinentes, & qui *utuntur* hoc mundo, ut *non abutentes*. 1. Cor. VII, 29, 30, 31.

XXII.

Et vero iterum iterumque ponderandum, quicquid sapiat caro, seu ratio sibi relicta, licet videatur optimum, inimicitiam adversus Deum mortemque ipsam esse Rom. VIII, 6, 7. Unde fit manifestum, si quis neget, abnegationem rerum, utpote quarum mancipium existit homo ante fidem, necessariam esse ad veram conversionem; quod ille concedat, mortem spiritualem posse cum fide consistere & dominari in eodem subiecto. Contrarium docet Johannes epist. I. c. V, 4. credentium in Christum fidem esse victoriam, qua devictus sit mundus; quem non tam extra nos captare, quam intra nos in creaturarum usu animadvertere, habemus debellandum. Ut minime mirandum, nec detorquendum alio fit dictum illud Magistri Luc. XIV, 26. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atque adeo etiam animam suam (& quid non?) non potest meus esse discipulus. Quam ipsius Veritatis sententiam, non de odio hostili, Diaboli proprio, sed pœnitentialem agentem, minime licet tantum de externo casu intelligere, quoad alii externe obstant amoris erga DEUM præstando: quam aliqua conditio locum in interpretatione obtinet, si non de solo externo casu accipiatur, sed præsertim respiciat amorem quemcunque inordinatum,

tum, qui non à Spiritu Sancto regitur, atque adeo, quatenus vel mea culpa detinet à vera Dei dilectione, in odium ejusmodi traducendus est. Neque enim aliter quidquam enumeratorum odisse debeo, quam quantum apud me pietati DEO debitæ obstiterit: quod ipsum, licet externe haud fiat, animi tamen depravati fraude in omni affectu reperitur, quam diu naturalis ductus extra fidem sese exserit. Ob quam causam Dominus tanto cum Zelo ista pronunciat, v. 33. exponens de omnibus, quæ cujusquam sunt, nec obscurè significans, naturæ sensum, quo possidemus nostra, ita pravam perversumque esse, ut traducendus sit in odium pœnitentiæ, antequam ipsius Christi vestigia sequi possimus. Quod quid, quæso, est aliud, quam ordo ille Evangelii, exceptionem nullam admittens? *Agite pœnitentiam, & credite Evangelio!* modo isthæc digne intelligantur. Quid aliud, quam vestigia illa fidei Abrahami, qui profecto ipsum erga filium amorem miris modis circumcidere tenebatur, ut Deo constanter probari posset? Rom. IV, 12.

XXIII.

Tantum igitur abest, ut necessitas portandæ crucis Christi in pœnitentia merito Domini injuriam afferat, ut ipse abnegationem hujusmodi ante omnia desideret penes eum, qui in discipulorum seu credentium numerum cooptandus sit. Atque hanc quidem necessitatem ad conversionem pertinere, ibidem Luc. XIV, 28. satis declaratur comparatione convertendorum cum iis, qui domum ædificaturi prius sumtum computare debeant. Neque est, quod quis objiciat, abnegationem fidei fructum esse, neque ad pœnitentiam, verum

rum ad renovationis opus referendam: nam uti ad renovationem omnino spectat abnegatio, ita in poenitentia, tanquam renovationis origine, initium sumit, ubi legalis primum concipitur ex terrore legis atque iræ, per ipsam autem mortis Christi virtutem mediante fide fit Evangelica & *Crux Christi*. Hic vero propria Christi est gloria, quod gloriatione omni exutus poenitens, ab usum rerum omnium deploret, incipiatque in ipso gloriari, qui pro peccatis tantopere detestandis satisfecerit, *Mediator & Dominus* factus. Huic ille tum omnia fert accepta in solidum, crucis, mortis ac resurrectionis conformatione & fructu percepto, verique liberatum se credit alterius Adami, tanquam Domini, redundante merito, ex quo vitam æternam, libertatemque restitutam accipit, à legis maledictione & coactione, à peccati dominio, ab auctoritate item hominum; ut omnia sint credentis, & Paulus & Apollos & Cephas, & mundus & vita & mors, & præsentia & futura. 1. Cor. III, 22. Cum ergo abnegatio non ad satisfaciendum, nec commereandum quidquam, sed ad humilitatem & agnoscendam corruptionem ex ordine divino requiratur, ut in solo Domino gloriatio & dominium recuperari queat, eo magis honori cedit uni illi domino, quo sincerior ipsa fuerit: unde & verus ex fide inchoatur, *creaturarum usus*, in ejusdem glorificatione agendisque Deo gratiis res cunctas sanctificans. 1. Cor. X, 30, 31.

XXIV.

Unus in hac doctrinæ Christianæ parte vitandus scrupulus, quo vel optimi quique affici tenerius solent. Infirmi namque vel ex plenæ informationis de-

D

fe-

fectu, vel ex tentationem anxietate eo facile feruntur, ut, cum tam serio Christus abnegationem rerum omnium præceperit, adhuc multis adhærere sibi visi, hæsitare incipiant, sintne in statum gratiæ recepti? præsertim si aliquando concupiscentiarum motus sentiant vehementiores, certis occasionibus excitatos: licet enim his omni renitentur cura, nec ab iis superentur, putaverint tamen huiusmodi casu se perentiscere, quod adhuc vel ignari mundo sint affixi; aut se non sine omni voluntatis consensu peccatis resistere, in animum induxerint: imo vero, si etiam certamine isto aliquoties defungantur victores, in promptu nihilominus folicitudo fuerit, annon alia supersint, quæ nondum sint abnegata? Quæ quidem perpetua anxietas valde impedit fidei plerophoriam, in qua certe obtinenda & conservanda non minus operæ ponendum, quam in expellenda securitate. Sciendum igitur, abnegationem in exuitione veteris hominis, h. e. amoris sui atque mundi, semper occupari, quoniam peccati corpus non eatenus aboletur in hac vita, ut prorsus intereat, verum ut ne dominari possit amplius, sed infirmetur mortificando magis magisque. Quapropter nec veritas abnegationis inde censenda, si nihil carnis vel adhærescentiæ sentiatur; at ex eo, si in Christo Jesu fide existens non secundum carnem ambulet, qua tentatur, sed secundum spiritum, quo illius impulsus fugit atque infringit. Rom. VIII, 1. Nam crucis seu mortis Christi virtutem vere experitur, quicumque Spiritus Sancti ope ex animo dolet de affectu inordinato, quo semet ac mundum persecutus sit, juxta omnia Decalogi præcepta sinum excutiens suum. Huiusmodi pœnitentia, si de

de salutari instructa, abnegationis radix est, qua fundata mortis spiritualis dominium expirat, corpus cum animo habitaculum Spiritus Sancti Christique membrum redditur, incipitque homo adhærere Domino, ut unus cum ipso spiritus reperiatur, cuius se proprium, pretioso tantum merito, esse novit 1. Cor. VI, 15, 19, 20. Tandiu vero adhæret Christo fideliter, neque ex statu gratiæ excidit, quam diu sub crucis mysterio durat, omne fermentum vetus malitiæ & nequitiae expurgans, instauransque sinceritatem ac veritatem, ubicunque caro sibi ipsi, vel in sese vel in aliis rebus, agglutinare animum conetur. c. V, 8. Si quis igitur hostem adhuc optatis validiorem adversus Spiritum sentit in multis rebus, modo non secundum illius ductum ambulet, hunc autem inter omnes difficultates sequatur, nec se redigi patiatur sub ullius rei potestatem c. VI, 12. vera abnegatio est, statusque gratiæ salvus manet. Quod si autem scrupulus de tacito quodam consensu torqueat conscientiam, carnis quidem is sensus est; quem tamen quod vincat Spiritus, homoque in Christo permaneat, ex eo certum fit, quoniam hic serio cruciatur dolere, & ista affectione, lapsus simillima, non ad securitatem, sed ad humilitatem, ad preces, ad instaurationem pœnitentiæ excitatur. De cætero etiamsi alia alicui in posterum objecta oboriri queant, quibus antea non animadversis, adhærescere animus videatur, liber ab iis servatur nihilominus, si in Jesu Christo & illa superentur; in quo sane abnegata omnia sunt, cognita & incognita, modo quisquam ipsius spiritum indeptus sit: *ubi enim Spiritus Domini, illic est libertas.* 2. Cor. III, 17.

Ast ibi Spiritus Domini nondum cessat, quando cum gemitu cordis anxio cujuslibet peccati fugimus conspectum, & ab eo abhorrentes propter offensum Deum, humili atque vera, utut pavore mixta, applicatione ad donatum accedimus Agnum, immaculatum illum, fideique oculos ita gemebundi ad ejus vulnera dirigimus. Uno verbo, contritio divini pudoris plena, quæ ad Patrem Cœlestem suspirat propter Filium, crucis Christi sanctæque abnegationis signum indubitatum existit. Pudor, inquam, divinus, quo non honorem nostrum, sed Dei sanctitatem læsisse pudet, non tantum de agnitione peccatorum sincera, sed & de Spiritu Evangelico haud prorsus deperdito testatur. Nisi quippe Evangelica sit abnegatio, mere legalis perdit omnia, imo, vires samente peccato, nulla sit necesse est: dicta autem verecundica quasi quædam Evangelii respiratio haberi debet.

XXV.

Neque vero hic elevanda sunt peccata venalia, ac si ea non essent vera & proprie dicta peccata, aut *ἀναμαρτία* seu impeccabilitas quædam statuenda. Sunt utique verissima, quæ hac de re *Apologia Augustanæ Confessionis* profitetur p. 91. *Plus quam cæci sunt, qui malos affectus in carne non sentiunt esse peccata, de quibus Paulus dicit: Caro concupiscit adversus carnem, caro diffidit Deo, confidit rebus præsentibus, quærit humana auxilia in calamitate, etiam contra voluntatem Dei, fugit afflictiones, quas debebat tolerare propter mandatum Dei, dubitat de Dei misericordia &c. Cum talibus affectibus luctatur Spiritus Sanctus in cordibus, ut eos reprimat ac mortificet, & inserat novos spirituales motus. Quin imo corpus mortuum est propter pecca-*

peccatum Rom. VIII, 10. id est, mortificatur propter præsens peccatum, quod adhuc in carne reliquum est ib. p. 194. Atque uti non potest esse vera conversio, aut vera contritio, ubi non sequuntur mortificationes carnis, & boni fructus: (Veri terrores, veri dolores animi non patiuntur corpus indulgere voluptatibus, & vera fides non est ingrata DEO, nec contemnit mandata Dei; denique nulla est interior penitentia, nisi foris pariat etiam castigationes carnis ib. p. 188.) ita penitentia in Christianis durat usque ad mortem, quia luctatur cum peccato residuo, sicut Paulus Rom. 7. ostendit, se belligerari cum lege membrorum suorum &c. idque non propriis viribus, sed dono Spiritus Sancti, quod remissionem peccatorum sequitur, & quotidie reliquias peccati purgat & expellit, & in eo est, ut hominem purificet, rectificet, sanctificet. Quæ præclara est Confessio Articularum Smalcaldicorum p. 327, 8. cum annexo hoc iudicio: De tantis rebus Papa, Theologi, Juristæ, alique homines ex ratione sua nihil norunt, sed hæc doctrina est e cælo per Evangelium patefacta, & ab impiis sanctis seu hypocritis pro hæresi proclamatur. Ubi quæ de peccato contra sectarios sequuntur, dignissima etiam observatu sunt ad veritatem omni ex parte stabiliendam, invictumque manet dictum Johannis, quo concluditur ex 1. Joh. 1, 8. Si dicimus, nos peccatum non habere mentimur, & veritas Dei non est in nobis. Etsi autem peccata venialia, quæ in statum Renovationis incidunt, verè ac propriè dicuntur peccata, ex se & sua natura mortem merentia & digna condemnatione, tamen libertatem ab hoc reatu servat homo spiritu carnem subigens, proterea quod manet in Jesu Christo. Rom. VIII, 1.

Atque ut ne ullo modo beneficium Christi & iustitia fidei obscuretur, siquidem Evangelium omnem potius splendorem ex mysterio Crucis requirit, ipsa crucis Domini spectata communio prohibet, ne abnegatio seu mortificatio vel propter *excessum*, vel ex *defectu* usquam dignitate sua excidat. Notandæ idcirco Satanæ & serpentis machinationes 2. Cor. II, 11. XI, 3. ex utraque parte militantes. Deditos contritioni vel in desperationem, vel in opinionem meriti acquirendi præcipitare cogitat; cum nec meriti ullius rationem, nec pertinacem de gratia hæsitacionem admittat fides in crucem Christi Evangelica, verum ita divinam temperet tristitiam, ut conformatio mortis ipsi vitæ interficiat, quando haud amplius renitenti imputatur meritum apprehensum, & inferuntur vires novæ: quam ob causam Apostolus tanti peccatoris pœnitentiam non mœroris magnitudine aut diuturnitate metitus est, sed solatium ipsi maturare iussit Corinthios, ne virtus Evangelii impediretur. 2. Cor. II, 11. De fide retinenda sollicitos ad scrupulosas disquisitiones adigere hostis satagit, ut conscientia præter libertatem dubitationibus illaqueetur 1. Cor. X, 25, 27. & crux Agni in legalem quandam carnificinam degeneret, magno cum fidei detrimento. Altera ex parte periculum in defectu est, ne, si Eva, nihil corruptæ carnis habens, serpentis calliditate carnalia omnia attraxit, multo facilius mentes renatorum, qui corpus peccati & mortis adhuc circumferunt, à simplicitate, qua in Christum conversi esse debent, abstrahantur 2. Cor. XI, 2, 3. vel ita, ut sub libertatis nomine carni locum relinquunt Gal. V, 13. 1. Cor. VI, 12. X, 23. Ubi cavenda ar-

te omnia est arrogantia seu superbia spiritualis, quæ in gratiam receptis facillime obrepit specie sapientiæ, cruci Christi insidias struens. 1. Cor. III, 18. Rom. XII, 3. Hæc mater quasi existit tentationum, quæ *humanæ* appellantur, non aded difficulter vincendæ, ab imbecillitate sub voluptatis aut metus ratione proficilcentes. Ita fit, ut, qui sibi videntur stare, non satis videant, ne cadant 1. Cor. X, 13, 14. sed, inflati aliqua libertatis notitia, faciant intelligendo, ut nihil intelligant, nec quicquam norint, prout nosse oportet. c. VIII, 1, 2. Deus quidem fidelis est, non sinens tentari suos supra id, quod possunt, faciensque cum tentatione & evasionem, ut crucem, etiam ex culpa ipsorum oriundam, sufferre queat 1. Cor. I, 9. X, 13. 2. Cor. I, 18. hac autem Patris cœlestis fidelitate nisi ad majorem humilitatem, constantiam & vigilantiam magis magisque utantur, facile in iudicium Israelitarum incurrunt iidem, ut omnia Dei beneficia, quibus cumulosos se norunt, eo graviorem in ipsos trahant vindictam 1. Cor. X, 2-11. c. I, 5, 6, 7. 2. Cor. VI, 1. Quapropter sub gratiæ libertate agentibus etiam atque etiam necessaria est abnegatio & continentia in omnibus, ne curius seu pugna fiat irrita, sed corpus cohibeatur & redigatur in servitutem c. IX, 24, 25, 26. Quoad proinde aliquid committitur, quod sanctitatis vel charitatis neglectu vivum Christi membrum dedecet, animus captivitas in discrimen venit 1. Cor. VI, 12. X, 23. Omne autem illud indignum est homine Christo addicto, quicquid non fecerit in gloriam Dei ib. v. 31. seu in nomine Jesu tanquam Domini Coloss. III, 7. licet adiaphorum quidquam reperiatur. Si quis enim in rebus etiam alioqui mediis usurpandis sequatur affectus suos, ideoque nec  
Dei

Dei nec aliorum rationem dignam habeat, quomodo hic eatenus libertatem fidei tuebitur, cum libertate carnis minime uniendam? Itaque sollicitudine à regenitis prætermiſſa, paulatim lapſus & ſecuritas in promptu ſunt: quod ne cenſentes quidem multi, traduntur in mentem omnis verè iudicii expertem, ceu Ethnici in ſuo genere Rom. I, 28. ut faciant, quicquid ipsis libeat, modo expreſſis literis & circumſtantiis non ſit vetitum. Quanquam & eo delabuntur nonnulli, ut ſatis expreſſe prohibita; aliis Scripturæ dictis abutentes, vel ſuæ ex ſapientiæ perſuaſione, in ſenſum libidini convenientem pervertant, glorientes ceu ſaturati & ditati, ne non liceat ſuo genio vivere & dominari, ſub nomine Chriſtianiæ libertatis 1. Cor. IV, 8. Qualibus ex adverſo exemplum mortificationum ſuarum opponit Paulus, cujus imitationem niſi pro vitæ conditionibus malint ſequi, veretur ut aliquando regnum adipiſcantur, hic ſibi & mundo ſervientes ib. uti & 2. Cor. VI. & VII. ubi ad conſtantiam, ne fruſtra gratiam Dei receperint fideles, ſed ad finem perducant ſanctificationem in timore Dei, commendatur abnegatio, qua homo ſe purget ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, non tam legis errore, quam Evangelicis promiſſionibus adductus. Eſt timor Dei ſit mentio ſimul, ut intelligamus, renatos etiam legis comminationibus ſubinde opus habere, ut, diem illum Domini, tribunal aliquando occupaturi, & iudicaturi ſecundum ea, quæ corpore facta ſunt, tremendum reputantes 2. Cor. V, 10, 11. dulcedine Evangelii eo ardentius & caſtius utamur, ad Crucem Chriſti abnegandis rebus ſuſtinaendam. Hujus ergo crucis qui immemores ſunt, ab omni inquinamento carnis & ſpiritus ſe non pur-

purgare studentes in usu creaturarum, sed, animo se-  
curo circa omnia versantes, sanctimoniam in crasioribus  
modo atque in oculos incurrentibus facinoribus evitan-  
dis ponunt, hi certe haud minus Christum crucifixum de-  
decurant, quam qui meritum ex nescio qua abnegatione  
stolide comminiscuntur.

XXVII.

Tanta vero *επιείκεια* & misericordia est pacti Evan-  
gelici, ut libertatis abusus non omnis hominem ex gra-  
tia statu illico extrudat; verum id demum, qui ex pro-  
æresi ac proposito, atque adeo pleno voluntatis con-  
sensu perpetratur. Ex quo fit, ut gradus in Renova-  
tione dentur, de quibus Apostolus alios dicit *infantes &*  
*carnales*, alios *spirituales* & adultos seu, juxta Vulgatam  
Versionem, perfectos. Hi non dicuntur, qui uberio-  
rioris profectus haud indigeant, aut non amplius ex  
carnis imbecillitate peccent; verum qui in sapientiam  
crucis penitus introspiciunt, in ipsa tanquam perfecta  
libertatis lege fortius perstantes Jac. I, 25. & habentes  
propter constantiam exercitatos magis sensus, quam  
cæteri, ad discernendum bonum ac malum Heb. V, 14.  
Carnales autem alii vocantur labentes vel lapsi, ince-  
dentes secundum carnem ex instituto voluntario Rom.  
VIII, alii, hic loci ad Corinthios, in statu Renovationis  
tales appellantur, & notanda quidem Synonymia ap-  
posita, *infantes*, quippe qui, non ex destinata malitia,  
contra mysterii crucis indolem sapius agunt, sed vel-  
uti infantes, qui &, discretionis spiritualis judicio non-  
dum subacti pollentes, sub specie boni falluntur, ut Co-  
rinthii in disidiis; &, carnis viribus minus usu attritis,  
præter opinionem in sensa, dicta & facta incidunt, quæ

E

NON

non tam spiritum, quam carnem redolent. Id quod etiam dicitur, secundum carnem incedere, peculiari isthoc sensu 1. Cor. III, 3, 2. quoniam *humanis* tentationibus plusculum indulgetur, quam oportebat. Quamquam probe observanda penes ita peccantes hæc conditio, quod ejusmodi quid advertentes haud temere neglectu dignum judicent, sed divina tristitia afficiantur, modo conveniente & defensionem, & indignationem, & timorem, & desiderium, & zelum, & vindicationem, exemplo Corinthiorum, adhibentes etiam contra semetiplos. 2. Cor. VII, 11, 12. ut mortificatione iterando redintegrata magis magisque & ipsi proficiant, fit, tristi experientia adducti, inconsultam persuasionem libertatis & gloriationem agnoscant vanam atque noxiam, sub humilitatis incremento, h. e. ipso crucis mysterio, augmenti gratiæ capaciores facti. Interim ut transgressiones veniales proprie dicta peccata sunt, ita quamvis non malitiose agentem a statu gratiæ haud excludant, nec sub potestatem mundi redigant prorsus, tamen eatenus captivitatis damnum percipit venialiter peccans, propiusque ad gratiæ amittendæ periculum fertur, quatenus magis minusve abnegationis curam negligit. Quo referendum insuper, quod eo ipso, quo Crucis Christi exemplum aliqua ratione deseritur, non possit non simul efficacia ejusdem impediri atque imminui apud hominem, per ipsam crucem pœnitentiæ deinceps instauranda. Quam sane jacturam, ex peccatis venialibus oriundam, si reputent secum renati, mysterium & necessitatem crucis dignius perpendunt, discuntque amare acriores Apostoli adhortationes 1. Cor. IV, 8, &c. IX, 24, &c. X, 1-13. 2. Cor.

2. Cor. V, 14. &c. VI, 1. &c. XI, 1. &c. XI, 2. 3. &c. XII, 10, 20.  
 21. Quibus omnibus faciem terroris admovent, quæ leguntur Phil. II, 12. Operamini salutem cum metu & tremore: Deus enim is est, qui efficit in vobis & velle & perficere pro gratuita voluntate. Nisi namque regenti fidem sub asiduo internæ crucis exercitio tueantur, incuria facile fovetur malitiosa & mors spiritualis ut externum quidem lapsum non sibi visi committere; arrogantia laborent periculofiori, quam status eorum est, qui apertius delinquent. Cujusmodi fuisse nonnullos Corinthiorum, haud obscure passim innuit Paulus. Cæterum ut th. XXIV. monuimus, quam diu radix illa mysterii crucis penes animum residet, incurvationibus quotidianis, adhibita contritione & fide, prævalens atque imperans, ut caro voluntatis approbationem, quam affectat, non obtinere, sed adhærentia tela retundere Crucifixus, & tanquam Rex pacis præfidium administrare possit Phil. IV, 7. tam diu etiam status gratiæ durat, nec ad mortem imputantur peccata, quæ inde tamen, quod non imputentur, *involuntar* non amittunt, dictu quod esset absurdissimum: at peccator reatu liberatur, non quod nihil in ipso condemnatione sit dignum, sed quoniam nulla est condemnatio iis, qui in Christo Jesu sunt manentque. Hujus status indoles quomodo constantem mortificationem seu abnegationem requirat, Epistolæ ad Romanos caput octavum, idque plane Evangelicum, edocet abunde, librique nostri Symbolici inculcant, ut ex thesi XXV. supra videre est.

XXVIII.

Intelligentium prudentiumque Christianorum hinc erit

erit dispicere, quamam impedimenta vitanda, quæ contra conservandæ augendæque fidei rationes sint? Jam quidem th. XXVI. de Satanæ insidiis diximus, ad excessum vel defectum in mortificando inducentibus; meminimus item, quod arrogantia spiritualis sit mater omnis socordix & periculi; abnegatio autem necessaria non tam ex Lege, quam Evangelio exercenda; superest vero, ut ratio ostendatur, sub qua Spiritus Sanctus fidem conservare atque augere, & ex opposito Satanæ imminuere aut tollere amplius intendat. Serpens iste antiquus nunc Legis nunc Evangelii usu nos privare annititur, ad abusum contendens animos adducere. Spiritus Sanctus, miserix nostræ obsecundans, Legis officium adhibet, tanquam *alienum*, & in Conversione & in Renovatione, certo utrobique modo, ut *proprium* ipsius munus ex Evangelio quam maxime vigere possit: quam docendi rationem Libri Symbolici usurpant. Quamobrem Legis usus, & *pædagogicus* & *didacticus*, inserviando necessarius est: ipsa vero conservatio fidei & accessio habenda ex *Evangelicis promissionibus* 2. Cor. VI, 16. VII, 1. quas Petrus 2. I, 2, 3, 4. maximas & pretiosas vocat, parientes *agnitionem Dei & Jesu Domini nostri*, per quam divina vis ipsius omnia, credentibus donet, quæ ad vitam & pietatem pertineant, ita ut in iis, qui corruptas seculi cupiditates repudiarint, divinæ naturæ inchoetur consortium, gratiæ & pax multiplicetur. Paulus idem confirmat sub initium prioris Epist. ad Corinthios, incrementum gratiæ scribens apud hosce ex eo extitisse, quod *testimonium Christi confirmatum* fuerit in ipsis ut gratia, quam Deus operatur, destituerentur nulla, sed in omnibus ditati

tati essent, c. I, 5, 6, 7. Itaque quo magis confirmatur, augeturque in animo agnitio beneficiorum Dei, & Christi meritorum nobis acquisite, eo majora sunt incrementa fides & abnegatio. Quam in rem diligenter considerari meretur laudatus locus 2. Cor. VI. ubi jubentur regeniti diem salutis meditari, ut ejus videlicet amore salutariter capti in ipsis ærumnis etiam dilatato esse animo, velut Apostolus, & consortium mundi constantius deserere queant, tanta promissa intuentes, quod *templa & habitacula Dei viventis, filiique & filie cœlestis Patris in Christo sint.* Quæ quidem omnes promissiones in Mysterio Crucis, tanquam centro, concurrunt, propterea quod crux Christi, qua pro peccatis nostris satisfecit, universalium illarum indubitatum est fundamentum, confirmatio & perennis scaturigo Rom. VIII, 32. V, 8. de fidelitate Dei æternum perhibens testimonium 2. Cor. I, 20. Postquam enim homo peccatis mortuus, factusque nova creatura, & quæ carnis sunt aspernatus fuerit, novit ex Deo se hanc gratiam gratis accepisse ib. c. V, 15 - 18. a quo & confirmetur in Christum unctus, obsignatus & Spiritus arrhabonem indemptus. c. I, 21, 22. porro etiam confirmandus ad finem usque inculpatus in die Domini nostri Jesu Christi 1. Cor. I, 8. Et hoc præsertim loco tota causa comprehenditur verbis statim sequentibus: *Fidelis est Deus, per quem vocati estis in communionem Filii ipsius Jesu Christi Domini nostri.* Communio autem Filii, tanquam Domini, haud æstimanda ex dignitate nostra, sed ex præstita pro hominibus satisfactione, requirens ipsorum ex parte agnitionem fidei, ut mediam, per quod Spiritus Sanctus Crucifixi & Resuscitati virtutem communicat. Quando igitur a-

gnitio illa excolitur atque instauratur in pœnitentia, ex agnita misericordia & fidelitate Dei in Christo fidelitas nostra viribus semper communitur novis. Exemplum Pauli in promptu est, qui cum, se indignissimum omnium reputans, gratiam Dei agnosceret, hæc in eum ita conferebatur, ut minime esset inanis, verum quam plurimum efficeret cum ipso. 1. Cor. XV, 9. ut etiam præstantissima quæque, ipsi quæ lucra erant visa, damnnum is duceret, imo stercora, eum ad finem ut Christum lucrifaceret, inque isto reperiretur, abnegata quoque sua ipsius justitia, justitiam fidei apprehendens, ut cognoscendo illum, & vim resurrectionis ejus & communionem passionum ejus, morti conformis redditus, ad resurrectionem mortuorum adspirare posset. Phil. III, 8. 11-15. Ex quo contextu evidentissime perspicitur, augmentum fidei non sine abnegatione omnis propriæ sanctitatis fieri, & unice versari in agnitione Christi meritorum ita vivida, ut mortis & resurrectionis vires experiamur in nobis.

XXIX.

Verum enim vero nihil facilius accidit, quam ut pro vera promissionum agnitione notitia quæcunque sumatur, inflans potius animum ac destruens domicilium Dei, quam ædificans sub crucis mysterio. Quocirca in Corinthiis ejusmodi quid notans Paulus, ita ipsos admonens docet: *Notitia inflat, charitas vero ædificat.* Quæ verba præclare explicantur subsequentiis: *Si quis sibi videtur aliquid scire, nondum quidquam novit, prout nosse oportet. Si quis vero diligit Deum, hic cognitus ab eo est.* 1. Cor. VIII, 1. 2. Notitia rerum credendarum agendarumque etsi in se bona omnino est, tamen, cum nihil innatum magis ex  
cor-

corruptione fit homini, quam supra descripta gloriatio,  
 cruci Christi e diametro adversa, caro, spiritum impu-  
 gnans, ex quamvis cognitione materiam ejus atque occa-  
 sionem petit. Ubi autem arrogantia locum obtinet, ibi  
 scientia, quæ tota in glorificationem Dei & dilectionem  
 debet ire ac tendere, veram hanc indolem suam exiit.  
 Contra, qui notitiam quamlibet tanquam indignus am-  
 plectitur, nec quidquam se nosse judicat, nisi quod o-  
 mne amori divino tribuens impenderit, hujus præstan-  
 tia cognoscendi in *passiva* potius affectione, quod se ap-  
 prehensum a Christo Jesu sentiat Phil. III, 12. quam in a-  
 ctu aut habitu intelligendi consistit. Hoc proinde si-  
 gnum agnitionis suppeditat Apostolus, si quis ita co-  
 gnoscat res divinas, ut ex misericordia Dei in Christo  
 accendatur ad diligendum Deum; quæ ratio a *posteriori*  
 fit indicio, fidem esse vivam & veram, quippe quæ im-  
 petrarit spiritum charitatis, redundantem ex agnitio-  
 ne, qua Deus ipse agnoscit in Christo credentes atque in  
 filios adoptat, ut hi tales se esse ex adoptionis & dilecti-  
 onis spiritu persentiscant. Opponit ergo dilectionem  
 arrogantia Paulus, una testatum faciens, quod, quem-  
 admodum notitia arrogans sit mater omnium operum  
 hypocriticorum, veræque fidei impedimentorum & va-  
 næ persuasionis, sic fides, per charitatem efficax, mater  
 sit omnis ædificationis, totiusque adeo Renovationis, &  
 instauratæ imaginis divinæ seu spiritus fructuum, id est,  
 virtutum omnium, ut docetur Gal. V, 22. vel ex ipso  
 præcepto primo discitur. Atque ea est causa gravissi-  
 ma, ob quam Apostolus charitatem, quæ in Deum dire-  
 cta simul proximum necessario complectitur, viam ex-  
 cellentissimam appellat, præferendam omnibus donis,  
 quæ-

quæcunque vel ministrantia vel miraculosa fuerint, omnibusque abnegationis speciebus, utpote quæ absque dilectione irritæ & nihil; ex ea autem omnes fluunt uberrime & felicissime 1. Cor. XIII, 4, 5, 6, 7. si ex amplexu miserationum Dei prius *passive*, quam *active* sentiatur affectus hic dulcissimus, qui per Spir. S. effunditur Rom. V, 5. Quod autem dilectio & fides cui illa totam se acceptam refert tanquam filia, velut major antecellere 1. Cor. XIII, 13. affirmatur, id non de justificatione, de qua ibi nequaquam agitur, accipiendum, sed alio respectu; videlicet, quod fides & spes tantum agant cum Deo, & dilectio foris erga homines infinita habeat officia, ut *Apologia* locum interpretatur, virtutesque omnes sub crucis mysterio immediate pariat, eo capite commemoratas; item, quod duratione utramque post se relinquat charitas, in alteram vitam, ut aeternam patriam suam, denique commigrans; isthic quidem ex glorioso Dei intuitu apud beatos oriunda, est hic ex eadem Patris Æterni gloria non nisi abstracta via per Crucis tenebras, sicuti stellæ in caliginoso loco splendescunt, beneficio verbi, tanquam speculi, in ænigmate misericordiæ accensa, aucta magis magisque & sustentata ibi v. 12. 2. Cor. III, 18. c. I. 9. IV. 16. V, 7. 2. Pet. I, 19. Unde cum fieri possit, ut, tentationum nocte ingruente, lux ipsa dilectionis erga Deum & proximum extingui videatur, propter apparentem ejus defectum non desperandum est, tametsi alias illa, dicto modo comparata, omnibus & donorum & abnegationum signis præstiterit; verum ad fidem recurrendum, *quæ apprehendit Christum, quæ communicat nobis Christi merita, quæ accipimus gratiam & pacem à Deo*; ut iterum *Apologia* loquitur p. 103, additque characterem, ex quo notitia ipsius vera di-

ra dijudicetur omni tempore, si non tantum sit notitia, sed multo magis velle accipere seu apprehendere, quæ in promissione de Christo offeruntur; cujusmodi appetendi ratio ex supra citatis Phil. III, 8. &c. it. 1. Pet. II, 2. 3. sub oculis quasi comparet. Quæ ipsa laudatissima Apologia p. 88. in verba Luc. VII, 64. Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum; quibus annectuntur & hæc, Fides tua salvam te fecit: divinam interpretationem, egregie sensa nostra illustrantem, ita suppeditat: *Ipsa historia hoc loco ostendit, quid vocet dilectionem. Mulier venit, hanc afferens de Christo opinionem, quod apud ipsum quærenda esset remissio peccatorum. Hic cultus est summus cultus Christi. Nihil potuit majus tribuere Christo. Hoc erat vere Messiam agnoscere, quærere apud eum remissionem peccatorum. Porro sic de Christo sentire, sic colere, sic complecti Christum, est vere credere. Et p. 86. Fides debet existere in pœnitentia, hoc est, concipitur in terroribus conscientie, quæ sentit iram Dei adversus nostra peccata, & quærit remissionem peccatorum & liberari a peccato. Et in talibus terroribus & aliis afflictionibus debet hæc fides crescere & confirmari. Ex quo intelligimus, si vel minime homo sentiat, se diligere aut credere, modo serium dolorem de peccatis & desiderium fidei atque dilectionis foveat, fidem & dilectionem, tanquam ignem absconditum, summa interdum alimenta ex fidei isthac spirituali, qua eo ardentius Mediatoris gratia imbibitur, posse capere: id quod simul ex abnegatione, quæ isto in statu, si vera fidei indoles subsit, insignis reperitur, animadvertere licet. Quanquam de reliquo certum manet indicium, quo magis ex hætenus descripta agnitione divinæ misericordiæ, quam crux Christi Redemptoris per Evangelium patefacit, amor*

F  
Dei

Dei & proximi augeatur in humili corde sensibilibiter, eò majora etiam sumere incrementa fidem atque abnegationem; & contra, eò majori in periculo versari utramque, quò minus agnitio illa salutaris cum dilectione in viâ crucis excolatur: licet animus notitiâ tumens sibi plus arrogare soleat, firmamque fidem censere, quæ forsitan mortis spiritualis regno vicina est.

XXX.

Quod si divina est dilectio, efficit etiam *communio-  
nem mysterii crucis inter fideles*, qui membra Crucifixi sunt, ut, siue patiatur unum membrum, simul doleant reliqua, siue honore afficiatur unum membrum, alia congratulentur. 1. Cor. XII, 11. --- 26, 28. cujus unionis figuram utrumque præbet *Sacramentum*, siquidem in uno spiritu omnes in unum corpus baptizantur, & omnes potantur in unum Spiritum ib. v. 13. atque unus est panis, unum corpus multi, uti omnes ex uno illo pane participant c. X, 17. Tanta vero cum sit necessitudo spiritualis inter credentes, ut ipsis Sacramentorum sigillis arctissime confirmentur, uno copulati spiritu ab initio regenerationis, quo disrupto nexu fides simul excutitur; animorum autem multiplex observetur, diversitas, ut, etiamsi fide & charitate vivâ imbuti fuerint, tamen utraque imbecillitates varias ex variis internis atque externis commotionibus adsciscat, fiatque facillime infirma: truculentissimus hostis Sathanas, si non *fidem*, vinculum illud Deum inter & hominem, expugnare potest, insidiatur *charitati*, vinculo membrorum mutuo, quod cum illo indissolubiler cohæret. Hac certe via iste Corinthiorum Ecclesiam in discrimen adduxit maximum, qui justificati  
multa

multa acceperant excellentissima dona. Fervebant, initia, ut fit. Deinde cœperunt inter eos existere similitates, norante Apologia p. 102. Unde cœperunt? Diabolus vel circumveniebat sensus sapientiæ atque eloquentiæ ornamentis quorundam naturalibus, ut iis capti inciperent fastidire bonos doctores, spiritualibus instructos, atque ita inter se disfiderent 1. Cor. I. &c. ipsique fidem suam corrumpent, nihil non temere superædificari sinentes fidei fundamento c. III. vel facinorosos proponebat fraterne amplectendos c. V. vel amore mundi sollicitabat eos, ut injuriam non tantum non paterentur, sed etiam inferrent fratribus bonorum terrestrium causa; aut scortationi se dederent c. VI. vel conjuges ipsius religionis ergo in disfidium concitabat, aut dominos cum servis c. VII. vel firmiores in fide, inflatos notitia, obfirmabat contra infirmos, ut vulnerarent horum conscientiam dictis & factis cap. VIII. & unumquemque quærere suum jubebat, posthabito proximo, offendiculum patiente c. X. adeo ut in communiione Cœnæ similiter peccarent c. XI. vel contentiones movebat de donis spiritualibus, ministrantibus & miraculosis, de discrimine superiorum & inferiorum c. XII. de prærogativis & ordine docendi in Ecclesia c. XIV. vel ex correptione Apostolica fiduciam erga Apostolum imminuere 2. Cor. VI, 12, 13. vel suspensionem quavis occasione contra ipsum ciere c. XI, 2. &c. conabatur. Quibus tot insidiarum generibus adversus charitatem adhibitis, opponendum nihil aliud docet Apostolus, quam fidelem crucis communionem, & charitatem Christi, qua constringamur 2. Cor. V, 14. ut spiritum atque exemplum Crucifixi, pro nobis mortui, unusquisque erga alterum sequamur, in re-

F 2

bus

bus etiam licitis atque indifferentibus cedentes infirmitati proximi abnegando; ut, veluti ille, *nemo suum, sed quisque, quod alterius est, quærat* 1. Cor. X, 22. &c. tum vero cruci abnegationis in rebus omnibus, naturalibus ac supernaturalibus, constanter navandam operam, si quis infidias serpentis apud se dignoscere velit, irritantis unum adversus alterum, ad evertendam renovationem, charitatem, ipsamque consequenter fidem c. VI, 7. &c. ut stultus homo in semet ipsum carnis tela convertat, qui alterum offendat ullo modo: denique sollicitè observandam & custodiendam unitatem spiritûs Eph. IV, 3. in quovis loquendi ac sentiendi genere, & in cruce invicem portandâ 2. Cor. II. VII. Omnia ista admirabili exemplo suo ostendit Paulus in utraque Epistolâ, ipsum pœnitentiæ jugum Corinthiorum una suscipiens, communionemque fidei in calamitatibus, in precibus, in gratis agendis, aliisque omnibus, sic persuadens illis, de jure suo & libertate multis etiam modis ultra officii conditionem recedens, ut nemo non agnoscere cogatur, eum non sua, sed quæ aliorum, atque adeo Domini sui Jesu Christi fuerint, spectasse, Evangelii consortem maxime factum 1. Cor. IX, 23. Atqui certè istiusmodi in abnegationis & charitatis exercitio fidei incrementum, afferri, constat ex fiducia, quâ inde magis magisque munitum se esse in posteriori epistola demonstrat Apostolus. Quo circa etiam atque etiam vehementer animadvertendum videtur, quod tantopere ab eo commendatur *ἀπλότης εἰς τὸν χριστόν*, simplicitas fidei & dilectionis, tota in Christum, sicuti sponsum aut maritum, directâ 2. Cor. XI, 2. 3, Rom. VII, 2. 3. charitas illa Christi constringens, ut propter ejus honorem & proximus colatur,

latur, pro quo ipse mortuus i. Cor. X, 31. VIII, 11. per crucis mysterium in omni officio semper renovanda; quæ fidei charitatisque simplicitas τῆ πανουργία, versuto studio spiritualis arrogantia & sapientia carnalis, opponitur 2. Cor. IV, 2. i. Cor. III, 9. tanquam principium actionum vere bonarum i. Cor. XVI, 14. fructusque instauratae veritatis, unctioe Spiritus Sancti animum confirmante 2. Cor. I, 12. 18 - 22. VIII, 1. IX, 13. Rom. V, 5.

XXXI.

Satis forte pro instituti ratione dictum de Communionem Crucis Christi, quæ ut donum imputatur ad justificandum, nec non de communionem Crucis Christi ut exemplo, inter membra efficaci, quæ præsupponit communionem Crucis inter caput ac membra, Christum, & fideles, his etiam assignantem passiones, de qua nonnulla passim allata, præcipue th. XVI. XX. &c. de malis culpa; nunc autem ex professio aliquid de reliquis subjungendum est. Apud hominem Crucis communio *inhabiva* incipit cum *imputativa* in opere conversionis, cum ante contritionem salutarem omnia mala, quæcunque peccatori contigerint, non ad crucem Christi pertineant, sed *pænæ proprie dictæ* partes sint. Horribiles etiam terrores conscientia in pœnitentia sunt pœnæ, quibus punit Deus in contritione, cum in illis iram suam ostendit; uti loquitur Apologia A. C. p. 193. verum ita, ut fiant paternæ castigationes accedente fide in Crucifixum, qui solus pœnam, justitiæ divinæ satisfaciendam, pro nobis sustinuit. Itaque sentit homo *aculeum mortis, peccatum, peccatigue vim* maximam & ineffabilem ex *Lege*: sed enim sentit ideo, ut Deo persolvat gratias, qui dat credenti *victoriam per Dominum ipsius*

*Jesum Christum* 1. Cor. XV, 56, 57. Apud baptizatos & conversos in victoriam illam mors & crux absorpta omnis est, unius crucis Christi infinito merito, ut, ubi hæc vera fide in lapsorum quoque animis radices rursum egerit, mortis atque crucis species universæ absorbentur in vitam & victoriam. *Malorum culpæ* reatus, qui ipsis ut peccatis adhæret, quod regeneritis, manentibus in Jesu Christo, non imputetur, supra vidimus. *Mala pænæ*, quæ pænæ sunt in se spectata, & spiritualia & corporalia, si apud renatos adhuc pænæ dicantur, minus proprie fit, nimirum ut paternæ, non ut judiciales. At vero cur à filiis Dei sufferri debeant, nulla rationis facultas, sed mysterium Crucis solum edocet. Ea namque est sapientia in occulto, quod Deus homines, ex communione crucis Filii unigeniti justificandos, etiam prædestinavit conformandos imagini ejusdem, ut is sit primogenitus in multis fratribus. Rom. VIII, 29, 30. nec alios glorificandos in æternum, nisi qui crucem in tempore sulceperint, spectantes non temporaria, sed æterna 2. Cor. IV, 17, 18. cujus utriusque figura & sigillum est *baptismus* Rom. VI, 1. Cor. XV, 29. quemadmodum & *S. Cæna* instituta *ad mortem Domini annunciandam*, quo spectat mysterium crucis continuandum, usque quo venerit. c. XI, 26. Hinc Paulus ex intimo pectore anhelabat communionem passionum, & conformationem sui ad easdem quotidianâ gaudebat, 1. Cor. XV, 31. semper mortificationem Domini Jesu in corpore circumferens, docensque, quod, qui corpore & habitaculo cœlesti aliquando superindui velint, terrestri in corpore suspirare & pati debeant; præsertim, cum non tantum post hanc ætatem vera illa vita, ab-

con-

scōdita cūm Christo in Deo, patefacienda sit in gloria  
 Col. III, 4. sed & hic, si morti traduntur propter Jesum,  
 vita etiam Jesu manifesta fiat in carne adhuc mortali,  
 & mors absorbeatur in vitam, vel externe simul, vel  
 saltem interne 2. Cor. IV. V. ut fructum abnegationis,  
 qui vere patiuntur, nunquam non capiant. Quā in re  
 mysterium Crucis conditionem nostram sequitur, quan-  
 do caro, quæ viribus suis pollens potentia Christi effi-  
 cacitatem impedit, plagarum afflictionibus vel per be-  
 stias 1. Cor. XV, 32. vel per homines 2. Cor. XI, 24. vel  
 per Diabolum c. XII, 7. infirmatur, ut conformationem  
 mortis Christi vis resurrectionis ejusdem potenter ex-  
 cipiatur v. 9.: tūm potentia, si non immediate, tamen ex  
 infirmis sit conspicua. 2. Cor IV, 7. &c. Ipsa ergo mor-  
 tificatio vitæ inservire debet, potissimum spirituali & fi-  
 dei augendæ ib. 16. c. 1, 9. Scite igitur Apologia A. C.  
 contra Satisfactiones docet, *regenerationem fieri perpetuā*  
*mortificatione vetustatis; mortificationes externas corporis*  
*sequi veros animi dolores: item, pavidas conscientias docen-*  
*das, afflictiones non semper esse pœnas, aut signa iræ, sed alios*  
*fines earum potiores esse: (1) esse destinatas ad nostram utili-*  
*tatem, quod Deus alienum opus faciat, ut suum opus facere*  
*possit in nobis 2. Cor. VII, 9. 10. (2) esse disciplinam, quā Deus*  
*exercet sanctos, ut inter tentationes discant querere auxilium*  
*Dei, agnoscant diffidentiam cordium suorum: ubi ipsius Pau-*  
*li exemplum adducitur ex practica meditatione 2. Cor. I, 9.*  
*(3) esse præsentis peccati mortificationes, quia in sanctis mor-*  
*tificant & extinguunt concupiscentiam, ut renovari spiritu pos-*  
*sint 2. Cor. IV, 16. mortemq; ipsam servire ad hoc, ut aboleat*  
*hanc carnem peccati, ut prorsus novi resurgamus. 1. Cor. XV,*  
*36. (4) esse comminationis exempla, ut pietas hominis etiam*

in

in illa humilitate exerceatur atq; probetur I. Cor. XI, 32. sic  
 & mortem corporis propter peccatum inflixisse Deum homini.  
 & post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam  
 non ademisse, videlicet ut exerceatur & probetur justitia suo-  
 rum, qui sanctificantur c. XV, 56. (5) debere corpora nostra  
 esse hostias, propter voluntatem Dei, ad obedientiam nostram  
 declarandam 2 Cor. IV, 10, 11. Rom. XII, 1. (6) quandoque  
 causam illarum non esse peccatum, sed ut opera Dei in homini-  
 bus manifestentur Joh. IX, 3. & potentia ejus conspectior fiat  
 in infirmitate nostra 2. Cor. XII, 9. Finis ultimus est glo-  
 ria Dei, & quidem specialiter in Conversione & Reno-  
 vatione, ut experiatur homo, non suas vires sufficere  
 ad tolerandam crucem, nec opus esse, ut tollatur subi-  
 to, sed gratiam Christi, cum justificatione collatam,  
 sufficere ib. stabiliendam precibus suis ib. aliorumque  
 c. I, 11. IX, 14. omnique vigilantia & fortitudine I. Co-  
 rinth. XVI, 13. Uti vero gloriandum in solo Domino,  
 quod ille nobis factus non tantum justitia, sed & sapien-  
 tia, sed & sanctificatio, sed & redemptio cap. I, 30, 31.  
 ita nihil gloriationis in nobis quærendum, nisi de in-  
 firmitatibus, miseræ potius quam gloriæ signis, ne-  
 que illis sane *activis* (æquis enim gloriatur de pecca-  
 tis) sed *passivis*, de angustiis pro Christo 2. Cor. XII,  
 20. idque ob eventum, quod, cum infirmi sumus, ex  
 Christi gratia reddamur potentes ib. ita ut *gloriatio*  
*in spe gloriæ DEI* & *gloriatio in afflictionibus* mirifice con-  
 spirent, quarum quippe hæc via ad illam est per-  
 charitatem DEI in virtutibus patientiæ, experien-  
 tiæ atque spei. Rom. V, 2, 3, 4, 5. Unde usus *consola-*  
*torius* juxta & *extitatorius* redundat uberrimus, siqui-  
 dem ii ipsi, qui miserissimi omnium hominum propter ab-

abnegationis atque afflictionum necessitatem essent, si in hac solum vitâ sperarent in Christum 1. Cor. XV, 19. beatissimi omnium mortalium spe in Christo sempiternâ exultant, scientes, quod momentanea levitas calamitatis juxta redundantiam in redundantiam æternam gloriæ pondus operetur 2. Cor. IV, 7. imò hic etiam in terris. sicut abundant perpesiones Christi in fideles, ita per Christum abundet etiam consolatio ipsorum c. I, 5. fructu simul in alios promanante passionum v. 6. ipsiusque abnegationis c. IX, 13. 1. Cor. VIII, 13. quòd item spiritum fidei habeant 2. Cor. IV, 13. Deusque sit, qui suos ad hoc ipsum condiderit, dederitque arrhabonem Spiritus c. V, 5. ut confidentes desiderent migrationem ib. vel revelationem Domini Jesu Christi 1. Cor. I, 7. qui etiam fidelis & confirmaturus ipsos sit ib. eripiens atque erepturus ex omni morte 2. Cor. I, 10. dans semper triumphum in Christo c. II, 14. ut omnia cooperari ad bonum debeant Rom. VIII, 28. ipse quoque de peccatis dolor c. VII. & hæresium occasio 1. Cor. XI, 19. Effectus Evangelicæ abnegationis & tolerantia afflictionum non est confidentia in operibus aut spiritualis arrogantia, sed corruptionis humillima agnitio & gloriatio in Domino 1. Cor. X, 12. 1. Cor. I, 31. non tristitia melancholica, sed divinum gaudium & fiducia 2. Cor. II, 7. IV, 13. VI. non cultus electitius aut coactus, sed studium spontaneum placendi Domino c. IX, 7. V, 9. non scrupulosa anxietas, sed veræ libertatis consortium 1. Cor. X, 29, 30. IX, 23. non Pharisaicus hominum contemptus, sed despicientia rerum humanarum c. VIII, 11. 2. Cor. IV, 18. non incertus cursus, sed victoria & gratiarum actio. c. IX, 26. 2. Cor. IV, 19. Ut itaque firmi, immoti & abundantes in opere Domini semper sint credentes, cum sciant laborem suum non inanem esse in Domi-

nō 1. Cor. XV, 58. non prætereundum est denique confilium Apostoli. c. XI, 31. ut quilibet seipsum dijudicet, tentet ac probet, an sit in fide, semperque nitatur ad Jesum Christum in se agnoscendum 2. Cor. XIII, 5. Ad thesin hanc cum superiore brevibus explanandam facit *Augustini* dictum in *de Doctr. Christ.* l. I. c. XVI. Ecclesia est corpus Christi, sicut Apostolica doctrina commendat; quæ etiam conjux ejus dicitur. *Corpus ergo suum*, multis membris diversa officia gerentibus, *nodo unitatis & charitatis tanquam sanitatis abstringit. Exercet autem hoc tempore & purgat medicinalibus quibusdam molestiis*, ut erutam de hoc seculo, in æternum sibi copulet conjugem ecclesiam, *non habentem maculam neque rugam, aut aliquid hujusmodi* Eph. V, 17.

XXXII.

Quod superest, quando Apostolus laborem tantum in assiduo crucis exercitio ad Renovationem requirit, fides equidem, non statuitur per bona opera conservari: hoc enim uti æque absurdum fuerit, ac si dicam, arborem conservari ex fructibus, ita minime ex illo elici potest, verum hoc, quod Apologia Augustinæ Confessionis elegantissime passim observat, bona opera & crucis passionēs *exercitia fidei* esse, in quibus vires accipiat p. 127. Et digna profecto sunt, quæ hanc mysterii crucis doctrinam illustrent, p. 134. *Ideo regeneramur & Spiritum S. accipimus, ut nova vita habeat nova opera, novos affectus, timorem, dilectionem Dei, odium concupiscentiæ &c. Hæc fides, de qua loquimur, existit in penitentia. Et inter bona opera, inter tentationes & pericula confirmari & crescere debet, ut subinde certius apud nos statuamus, quod Deus propter Christum respiciat nos, ignoscat nobis, exaudiat nos. Hæc non discuntur sine magnis & multis certaminibus. Quoties recurrit conscientia, quoties sollicitat ad desperationem, cum ostendit aut vetera peccata, aut nova, aut immunditiam naturæ? Hoc chirographum non deletur sine magno agone, ut testatur experientia, quam difficilis res sit fides. Et dum inter terrores erigimur & consolationem concipimus, simul crescunt alii*

*motus*

motus spirituales, notitia Dei, timor Dei, spes, dilectio Dei, & regeneramur, ut ait Paulus, ad agnitionem Dei, & intuentes gloriam Domini transformamur in eandem imaginem, id est, concipimus veram notitiam Dei, ut vere timeamus eum, vere confidamus nos respici, nos exaudiri. Hæc regeneratio est quasi inchoatio æternæ vitæ, ut Paulus ait: si Christus in nobis est, spiritus vivit, corpus autem mortuum est &c. Et superinduimur, si tamen induti non nudi reperiemur. Ex his judicare candidus lector potest, nos maxime requirere bona opera, siquidem hanc fidem docemus impenitentia existere, & debere subinde crescere in penitentia, & in his rebus perfectionem Christianam & spiritualem ponimus, si simul crescant penitentia, & fides in penitentia. Quibus Apologiæ verbis nihil dignius aut expressius de Mysterio Crucis proferri potest. Accedit, quod eadem, tractans argumentum de bonis operibus, ex intima mysterii hujus sapientia moneat, quod, etiamsi illa fiant in carne nondum prorsus renovata, quæ retardet motus Spiritus Sancti, & aspergat aliquid de sua immunditie; tamen propter fidem sint opera sancta, divina, sacrificia, & politia Christi regnum suum ostendentis coram hoc mundo. In his enim, inquit p. 95. Christus sanctificat corda, & reprimit Diabolum, & ut retineat Evangelium inter homines, foris opponit regno Diaboli, confessionem sanctorum, & IN NOSTRA IMBECILLITATE DECLARAT POTENTIAM SUAM. Pauli Apostoli, Athanasi, Augustini, & similium, qui docuerunt Ecclesias, pericula, labores, conciones sunt sancta opera, sunt vera sacrificia, Deo accepta, sunt certamina Christi, per quæ respicit Diabolum, & depulit ab his, qui crediderunt. Labores David in gerendis bellis & in administratione domestica sunt opera sancta, sunt vera sacrificia, certamina Dei, defendentis illum populum, qui habebat verbum Dei, adversus Diabolum, ne penitus extingueretur notitia Dei in terris. Admiranda sane effata, perspicue docentia, quod tota Christi politia in regno gratiæ per crucem militet contra Satanam, & victoriam in tenuissimis etiam actionibus & afflictionibus, modo fidei veræ munimentum iis adfit, reportet. Atque ita, porro docet Apologia, sentiendum de singulis operibus in infimis Vocationibus, per quæ triumphet Christus adversus Diabolum; exemplum adjungens ipsorum Corinthiorum, quod, cum hi contulerint Eleemosinam, sanctum opus fuerit, & sacrificium

*& certamen Christi adversus Diabolum*, qui laboret, ne quid fiat ad laudem Dei. Quo pertinet, quod Apostolus unumquemque, in quâ vocatione vocatus fuerit, in ea manere jubeat, & quidem apud Deum 1. Cor. VII, 20. 24. ut Spiritus S. ope tentationes atque afflictiones in carne, quibus nec Conjugium, in Domino licet initum, nec ullum aliud vitæ genus vacare potest, tolerantur, v. 28, 39. Eodem sensu B. Lutherus in *Sermone de Baptismo* tom. I. Jen. Germ. omnes Christianæ Reipublicæ ordines ac *vocationes* nihil aliud esse affirmat, quam *Baptismi exercitia*, si vere administrantur, seu mysterii crucis documenta. Neque ego à mente Lutheri alienum statuerim, si verba illa, quibus de Baptismo utitur in *Catechismo majori*, ad Mysterium Crucis, cujus initiatio Sacramentum est, accomodem; quod nempe *Crucis Mysterium* cuique habendum sit, ut *amicтус quotidianus*, quo indutus semper debeat incedere, ut nunquam non in fide, ejusque fructibus inveniatur, ut cœrcitis veteris hominis concupiscentiis, in novo adolescat.

§. XXXIII.

Atque ut in omni Vocatione, quam vocant, ita quam maxime in Ministerio Verbi versantibus Mysterium Crucis, tanquam amictus quotidianus, propositum est. Horum enim singulorum vox propria cum Paulo esse debet: *imitatores mei estote, sicut ego Christi*. 1. Cor. IV, 16. XI, 1. Hi in quibusvis afflictionibus non debent *segnescere*, sed *mortise tradere*, ut *vita* auditorum inserviant c. IV, 12. 16. *abnegationem* fortissime exercere, ne quo modo, cum aliis prædicarint, ipsi rejecti rei fiant c. IX, 27. ne ipsi adhuc *captivi & servi* sint rationis & creaturarum, pravas ratiocinationes armis spiritua- libus everfuri apud alios 2. Cor. X, 5. neque vel dictis vel factis præbeant *offensionem* c. VI, 3. nec jure suo abutantur in Evangelio, sed, posthabita libertate externa in multis, servos se faciant omnibus, ut plures lucrifaciant, ipsique hoc modo *confortes fiant Evangelii*. 1. Cor. IX, 18, 19, 23. Hi *declaratione veritatis* se commendare debent apud omnem conscientiam hominum *in conspectu Dei* 2. Cor. IV, 2. VIII, 21. non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in *demonstratione spiritus & veritatis*: ne *crux Christi* reddatur inanis 1. Cor. I, 17. si *fides* audientium fundetur *in sapientia hominum*, atque ita humana sit ir-  
rita

rita, sed hæc *impotentia Dei* consistat. c. II, 4, 5. *spiritualibus* sermonibus ad *spiritualia* vere accommodatis, fluentibus ex spirituali facultate dijudicandi quæ sunt spiritus Dei v. 13, 14. ut sciant, se *bonum odorem esse* Deo in iis qui servantur, & in iis qui pereunt 1. Cor. II, 15. ex *ministerium Spiritus & Novi Testamenti* glorioso fiduciam omnem & hilaritatem præ se ferentes, possidentes quippe spiritum fidei, & tametsi *infirmi* & crucifixi in Christo, thesaurum habentes in testaceis vasculis, *viventes* tamen cum eodem, ut tales se exhibeant etiam *ex potentia Dei* erga contumaces c. III. IV. XIII, 4. X, 6. Enim vero ad hæc quis idoneus? *si Ministri non, ut multi, cauponari debeant verbum Dei, sed ut ex sinceritate, ut ex Deo, coram Deo in Christo loqui* 2. Cor. II, 17. Neque enim idonei sunt ad cogitandum quidquam ex semetipsis, *tanquam se ipsis*; at Deus ministros facit idoneos novi Fœderis & Spiritus, qui fiduciam illam erga Deum per Christum habere possint c. III, 4, 5, 6. facit autem hujusmodi gratiæ donis, etsi non extraordinariis simul, ut Apostolos, certe sanctificantibus & ministrantibus, ex cruce Christi, conferens iis non *spiritum mundi*, sed *spiritum* qui ex Deo est, ut norint, quæ donata ipsis sint à Deo. 1. Cor. II, 12. Hoc duce nihil sciendum existimant in Ecclesia, nisi *Jesum Christum*, atque hunc crucifixum, rationem ac voluntatem suam similiter crucifigentes, ut sapientiam ac justitiam seculi hujus, & principum seculi hujus, qui abolentur, extra illum spectatam, agnoscant vanam esse, rebusque ac verbis abutentem, in quibus minimè situm sit *regnum Dei*, requirens virtutem Spiritus & *potentiam* ibid. v. 26. Quamobrem administri Dei futuri, quod fundamentum ædifici in aliis posituri sint, idem necesse est ante omnia apud se ipsos solidum ex Scriptura firment, nimirum unicum *Jesum Christum*, tanquam unicam *redemptionem* à peccato, errore & omnibus periculis, unicam veram *sapientiam* in agnitione vanitatis & veritatis, unicam justitiam in foro divino, atque unicam *sanctificationem* in mente ac voluntate. Discunt ergo ex tristi Corinthiorum expemplo sapere, quæ hoc ipsum acceperant fundamentum, deinde autem auctoritate ornamentorum naturalium capti, sapientiam ex hujus mundi spiritu profectam, ductu aliorum, illi superadificare ausi fuerant, tanquam aliquid admiratione dignum, externis donis Spiritus S. infirmioribus

bus opponendum. Quod quidem ita consideratum, erat *stipula, foenum & lingua*, quæ igne, vel humanæ probationis, facile diducantur, quoniam dissidia & omnia inde exoriebantur mala, fidei adversantia. i. Cor. I. & III. Est igitur Mysterii Crucis in studio Theologico & reliquarum usu disciplinarum, ut, Jesu Christo per veram fidem agnito, & fundamento hoc firmiter in spiritu ac veritate collocato, abnegatio, omnis sapientiæ & justitiæ extra eum, constanter excolatur, nec quidquam superædificetur ipsi, nisi *aurum, argentum & lapides pretiosi, orationis, meditationis ac tentationis* beneficio, ut B. Lutherus docuit, coalescentes. Hoc enim pacto quævis liberales scientiæ aurum, argentum & lapides pretiosi fuerint, quatenus sapientiæ unius, Jesu Christi, apud animum ex verbo splendescantis radiis collustrantur; quæ, absque eò ingenii & memoriæ tantum opera congestæ, hominem inflarent, habendæ stipulæ, foenum & lingua igne poenitentiae exurenda. Ubi ipsi regenti magno sunt in periculo, ne, Christum serio amplexi, deinde thesaurum gratiæ *presupponentes*, ut ajunt, sapientiam literarum atque artium ambitiose suspiciant, misereque inescati accensam fidei lucem paulatim negligentes, dudum supponendo isthanc, & ab externis flagitiis aliquandiu temperando, tenebris rursus tantopere occupentur, uti Crucis spiritualis exercitium, in superando mundi amore continuandum, fastidiant, eruditionisque laudem temere affectantes, verum amittant cognitionis oculum, & nullis non profanarum opinionum ac vitiorum laqueis implicentur. Quem in sensum & spiritu & literis exercitissimus *Augustinus* graviter monet de Doct. Christ. l. II. c. VII. ubi de septem gradibus ad veram sapientiam agit, his verbis: *In tantum videmus, in quantum morimur huic seculo, in quantum autem huic vivimus, non videmus.* Idem ib. c. XL. ex professo docet, quæ *Philosophi vera forte & fidei nostra accommoda dixerint, non solum formidanda non esse, sed & ab eis etiam, tanquam injustis possessoribus, in usum nostrum (non abusum) vendicanda*: adducitque figuram Ægyptiorum atque Israelitarum, quorum illi non modo idola habuerint & onera gravia, quæ populus Israel detestaretur & fugeret, sed etiam vasa atque ornamenta de auro & argento, & vestimenta; cum quibus comparari possint disciplinæ, & instituta gentilium usui veritatis aptiora. Quod quando optime pariter ac modestè tradidit, *sine prejudicio*


altri-


alterius, aut parvis, aut melioris intelligentia; vir divinus submittit  
 adhuc duo capita, librum istum concludens, quorum priore incul-  
 cat solcite Apostolicum nostrum effatum: *scientia inflat, charitas  
 ædificat*: posteriore testatur, sapientiam, quæ in Scripturis invenia-  
 tur, omni alia extranea longe perfectiorem esse; cavens prudentis-  
 sime, ne astu Satanae abusus literarum utendi licentiam corrumpat,  
 non tantum in Corinthiis, sed & in multis Patrum, qui tanto auro,  
 & argento, & veste suffarcinati exierant de Ægypto, observatus à  
 Luthero teste locupletissimo. Itaque Hipponensium ille Episcopus  
 futurum aliquem Verbi Ministrum, usu disciplinarum etiam præ-  
 parandum, totum in Mysterium Crucis intromittit, dicto loco ad-  
 monens, de Ægypto exeunti diviti pascha agendum esse, nempe  
*Christum immolatum*, cujus immolatio nihil magis nos doceat, quam  
 quod ipse clamet, tanquam ad eos, quod in Ægypto sub Pharaone  
 videat laborare: Venite ad me omnes onerati, & a me discite, quia  
 mitis sum & humilis corde, si requiem animarum vel invenire vel  
 conservare velitis: nam solum jugum meum suave & sarcina levis  
 est, nempe mitibus & humilibus corde, quos non inflat scientia, sed  
 charitas ædificat. Pergit Augustinus circa Pascha considerandum,  
 quod in *umbra* imaginaria illud celebrarint Israelitæ, postibus san-  
 guine agni signatis, & quidem *byssopo*, in qua herba sit *vis purgatoria*,  
*ut instante scientia de divitiis ab Ægypto ablatis, superbe aliquid pulmo  
 tumidus anbelet*. Mentionem etiam facit ipsius *Crucis Domini*, com-  
 prendendendæ juxta Eph. III, 18. *secundum latitudinem & longitu-  
 dinem & altitudinem & profunditatem*: quo signo crucis omnis a-  
 ctio Christiana describatur, *bene operari in Christo, & ei perseveran-  
 ter inharere, sperare cœlestia, sacramenta non profanare: ut ita pur-  
 gati valeamus cognoscere supereminentem scientiam charitatis Christi, ut  
 impleamur in omnem plenitudinem Dei*. Sic proinde scientiis deditus,  
 ut bene operetur in Christo, & huic perseveranter inhæreat, speret-  
 que cœlestia, nulli honori aut commodo terrestri inhians, ac omni  
 cura id agat, ne profanet mysteria; ecce! quod alii supponunt, hu-  
 jusmodi Theologiæ cultor ut fundamentum veræ ac solidæ cogni-  
 tionis semper usurpat, mysterium Crucis non solum Christianismi,  
 verum etiam Studii Theologici, in usu Verbi & adminiculorum.

quo-


quorumcunque, habens principium, unde universum negotium oblatio fiat accepta Patri Cœlesti in Jesu Christo, reportans adhibitis precibus incrementum gratiæ ac luminis, ut, quemadmodum ex Apologia A. C. observatum supra est, Verbi divini opes agnitione experimentaliter magis magisque aperiantur, cæteraq; eruditionis subsidia, tanquam argumenta ignorantæ & confusionis ex Lapsu pronata, ipsi humilitati & necessitati inserviant, nec permittantur dominari, sed fidei præstare ministerium, ne profanæ eloquentiæ aut sapientiæ fucos inficiatur vel ipsa doctrinæ, vel docendi rationis sinceritas, nec vel animus vano & sterili rerum verborumvè cultu ab integritate in Christo, quæ cum abnegatione floretq; & interit, in hypocrisis ac securitatem a vocetur. Ipse autem Mysterii Crucis verus usus, generatim sumtus, docendo atq; discendo patescit ex discrimine Legis & Evangelii, ut ne Christus sit *Legislator*, sed *Salvator*, sed salutem & libertatem vivam afferens; quâ de re *Lutheri* monitum haud prætermittendum in Argumento Epist. ad Galat. *Solet Diabolus opponere locos ex Evangelico, quibus Christus ipse exegit nobis opera, & comminatur manifestis verbis interitum eis, qui ea non fecerunt. Si hic ignoraverimus discernere inter has duas justitias (activam & passivam) si hic fide non apprehenderimus Christum, sedentem ad dextram Dei, qui est vita & justitia nostræ, qui etiam interpellat pro nobis miseris peccatoribus apud Patrem, tum sumus sub lege, non sub Gratia, & Christus non amplius Salvator, sed Legislator est. Passivam si intus habeo, descendo de cœlo, tanquam pluvia fecundans terram, Summa, Quicumque certo novit, Christum esse justitiam suam, Is non solum ex animo & cum gaudio bene operatur in vocatione sua, sed subjicit se quoque per charitatem Magistratibus, etiam impiis legibus eorum, & omnibus presentis vitæ, si res ita postulet, operibus atque periculis; quia scit Deum hoc velle, & ei placere hanc obedientiam.* Summa, Mysterium Crucis efficit, ut gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti, sit cum fidelibus omnibus 2. Cor. XIII, 13. Cui Trinum Deo debetur gloria, nobis ignominia ex nobis, ut gloriemur æternum in Domino nostro JESU CHRISTO,


AMEN.














the scale towards document

25

Oni Prof. Langii Rechte Mittelstrasse T. i. P. i. in  
hanc materiam deduxit.

§. XXIX.

set, si quis vellet statuere, vnanimitatem spi-  
oque particulari coetu, certis locis, certis re-  
tis doctrinae formulis, certis ritibus & cere-  
præcise circumscriptam; quippe quousque  
sti patet, iam vero hæc per vniuersum terra-  
diffusa est, eo vsque etiam cæteris paribus fe-  
tus vnitas. Fideles enim, qui de euangelio  
habent eundem Christum, eundem spiritum  
dem sacramenta, siue habeant easdem traditio-  
sue dissimiles sparsi sunt per totum orbem LL

§. XXX.

etiam committit, si quis dicat: vnanimita-  
apud illos quoque locum habere, qui quali-  
ederent, Christum esse filium DEI, nobis-  
vitæ pie & sancte instituendæ dedisse, quod  
etur, vnionis sanctorum membrum existere  
licet sanctissimo Christi sanguine, seu lytro  
m conscientia nostra ab ira diuina liberari,  
am Deo redire possit. Item, si quis aliquas sal-  
Christianæ partes, non vero in toto complexu  
e adeo oeconomiam salutis diuinam amplexus  
concordiæ sic etiam membrum esse, minime  
Momenta quædam *deborquias* circa articulum  
e reperiatis in Dn. Præidis mei diss. de *harmonia*  
45. 50. 51.

§. XXXI.

etiam haud leui versatur, qui pietati tantum &  
ianæ studendum esse putat, vt, qui concordia  
tes esse cupiant, quomodocunq; etiam se res  
dendis & doctrina Christiana. Ita non minus

D

talli-